

THESES

EX

UNIVERSA THEOLOGIA

TUM

SCHOLASTICO-DOGOMATICÆ

TUM

HISTORICO-CRITICÆ

PRINCIPIIS

MARIANI DOCTORIS

VENERABILIS

JOANNIS DUNS SCOTI

CONFORMATÆ

QUAS

P R Æ S I D E

M. V. P. OTHONE SPRUG,

SACRI ORDINIS MINOR. S. P. FRANCISCI REFORMATO-
RUM SACROSANCTÆ THEOLOGICÆ LECTORE GENERALI ACTUALI*In Publico Scholastico Certamine propugnauerunt.*VV. PP. JOANNES NEPOMUCENUS WALLENSPERG,
ET ABUNDUS PILPACH, ejusdem Sacri Ordinis Profelli,
& Theologi Absoluti.Labaci in Æde Seraphica Gloriosissimæ Virginis
in Cœlos Assumptæ.*Anno Incarnati Verbi MDCCLXII. Mense Augusto horis post meridiem consuetis.*

ANNUENTE SUPERIORITATE.

L A B A C I,

Typis JOANNIS GEORGII HEPTNER, Incltyi Ducatus
Gran. Typographi.

THESES

EX

UNIVERSA THEOLOGIA

TUM

SCHOLASTICO-DOGMATICE

TUM

HISTORICO-CRITICE

PRINCIPIS

MARIANI DOCTORIS

VENERABILIS

IOANNIS DUNS SCOTI

CONFORMATIS

GRATIA

P. R. A. S. I. D. E.

M. V. P. OTHONE SPRUNG

ORDINIS MINOR. S. FRANCISCI REFORMATORUM
PACHS VICE THEOLOGICI LITTORE GENERALI ACTUALI

In Illust. Sacerdot. Consilio Imperatorum

M. P. IOANNES NEOMIENSIUS WALLENBERG
AC ABUNDUS PILLAGH, eisdem Sacri Consilii Secret.

& Theolog. Ordinarii

Litaci in A. de Seraphica Gloriosissima Virginitate

in C. deo Augustine

in C. deo Augustine

in C. deo Augustine

L. A. S. N. O. I.

Typis Joannis Grosse
1/N=030006683



De Divina Revelatione, sive Scriptura Sacra, & Traditionibus.

I.

Sicut foli insipientes in corde dicunt: *non est DEUS*, Pſal. 13. v. 1. ſic & foli perditæ vitæ viri in deſiderio cordis ſui clamantes: *recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*, Job. 21. v. 14. Divinam omnem ſpernunt Scripturam, renuunt, ac negant! At numquid Chriſtus ad eam velut lapidem lydium remittit Judæos Joan. 5. v. 30. *Scrutamini ſcripturas?* nonne naturæ debitum ineſt glorificandi ſui Authorem? qua ratione, quo ritu verò ſerviet, ſi ipſe voluntatis ſuæ placita prius ſignò aliquò certò non manifeſta-verit? proſus ergo incredibile eſt, non dari, ac reiſa non exiſtere Divi-nam Revelationem, ſive Scripturam Sacram. Porro in noſtra *Prophetica*, & *Apoſtolica* Scriptura Divinam contineri Revelationem ex iis veritatis cha-racteribus innoteſcit, quibûs alibi Religionis noſtræ myſteria evidenter eſſe credibilia oſtendemus.

II.

Textum originale V. T. quoad ſubſtantiam, ſeu in iis, quæ fidem, morèsque concernunt, à Judæorum Synagoga ad Chriſtianorum Eccleſiam tranſiſſe incorruptum, Divina ſuadet Providentia, quæ ſemper Eccleſiæ ſuæ proſpiciens indubiè paſſa non eſt tot Sanctorum, & Prophetarum oracula generaliter falſificari. Et ſi Scripturam reverà corrupiſſent Hebræi, quando id attentàſſent (quæro cum S. Hieronymo in c. 6. v. 10. Iſaiæ) ante, vel poſt Chriſti tempora? non ante; quia Chriſtus, qui alia etiam leviora *Judæis* exprobat crimina, hujus eos non redarguit, quin potiùs ad ſcrutandas Scri-pturas auditores ſuos remittit Joan. 5. v. 39. Prætereà Matth. 23. v. 2. & 3. inquit: *ſuper Cathedram Moſis ſederunt Scribæ, & Pharifæi, quæcunque ergo dixerint vobis, facite*: obtemperandumne iis præcepiſſet, ſi Scripturarum vio-latores fuiſſent? non poſt; quia omnia à Chriſto, & Apoſtolis citata, etiam

nunc in Moysè, & Prophetis reperiuntur, ridiculum verò est dicere: ea sic à Christo, & Apostolis esse citata, ut ea postea falsaturi essent *Judæi*.

III.

Versionem LXX. Interpretum post obitum Alexandri Magni trecentis circiter annis ante Christum natum tempore Eleazari summi Sacerdotis sub Ptolomæo Philadelpho Ptolomæi Lagi Filio Rege Ægypti suasu Demetrii Phalerei Regiæ Bibliothecæ Præfetti ad Insulam Pharan adornatam, puritatem suam retinuisse ad tempora usque Christi, & Apostolorum, eamque ut *authenticam* agnitam fuisse tacita, aut expressa Ecclesiæ acceptatione, non est inficiandum; etenim Editio hæc statim, ac prodiit, referente Aristæa Philadelphi consulario, & historiæ hujus teste oculato, non solum approbationem ab Alexandrinis obtinuit *Judæis*, verum etiam à Synagoga, & Senatu Jerosolymitano est suscepta, sic, ut temporis successu *Judæis* cum Græcis familiarius conversantibus usitator, & vulgaris evaderet. Imo Christus ipse, Apostoli, & deinceps Universalis Ecclesia usque ad Sæculum V. Testimonia legis, & Prophetarum plerumque ex hac Versione deprompserant dicente Irenæo lib. 3. *adversus hæreses* c. 25. *Petrus, & Joannes, & Matthæus, & Paulus, & reliqui deinceps, & horum sectatores prophetica omnia ita annuntiârunt, quemadmodum seniorum interpretatio continet.* Supponendum profectò non est, Christum, & Apostolos Editione non *Canonica* voluisse, & quæ indubiæ non esset autoritatis, quomodo enim fidem dictis, & scriptis conciliassent, si ea testimoniis abinde petitis confirmassent, quod nullius roboris foret?

IV.

Hodie verò ex omnibus Sacrorum Codicum editionibus solam *Vulgatam Latinam* esse *authenticam*, ac fidei nostræ regulam sustinemus; quia ut *authenticam* sit editio aliqua, non satis est, quod nihil contra fidem, vel bonos mores contineat, sed insuper requiritur, ut hoc publicò constet Ecclesiæ judiciò: quod cum non constet de *Hebraica*, vel *Græca*, pronuntiet verò idipsum Universalis Ecclesia in Tridentino Concilio congregata Sess. 4. c. 2. *de Vulgata Latina sola: idè hæc positivè authentica est, & non Hebraica, Græca, vel ulla alia.* Nec interest, quòd sancti Patres Hieronymus, & Augustinus passim ad *Hebraicos, Græcosque* scripturæ fontes recurrendum esse doceant; nam non loquuntur illi Patres de hodiernis, & vitiatas scripturæ textibus, sed de textibus suo tempore currentibus, & nondum corruptis, & vitiatas.

V.

Libros complures sectæ suæ minùs faventes è numero *Canonicorum* expunxere Hæretici, ut *Baruch, Tobia, Judith, Sapientia, Ecclesiastici* &c. verumtamen Catholici manent in possessione suæ antiquæ doctrinæ, tamque illos, quàm reliquos sacræ Scripturæ libros, quos *Latina Vulgata* Bibliorum continet Editio, rectè ut *Canonicos*, ac *Divinos* sibi vendicant; quoadusque

adūque sectarii probent oppositum; non enim possessori incumbit necessitas probandi, sed auctori. *Anabaptistæ*, homines secundum carnis sensum DEUM quærentes, *Canticum Cantorum* pro Carmine habent amatorio, in gratiam filiæ Pharaonis concinnato; verum iis, qui Spiritu DEI aguntur, spirituale est Epithalamium nuptiarum Christi cum Ecclesia Divino afflatu à Salomone conscriptum, quod ipsum innuit S. Augustinus Lib. 17. de Civ. Dei c. 20. dicens: *jam verò Canticum Cantorum spiritualis quædam sanctarum est voluptas mentium, in conjugio illius Regis, & Regina civitatis, quod est Christus, & Ecclesia.*

VI.

Ecclesia Romano-Catholica promiscuam sacrarum litterarum lectionem in lingua vernacula iustissimè vetuit; simile quippe indultum rudioribus hominibus, ac sciolis exteriorem litteræ corticem examinantibus, nec latentem genuinum sensum penetrantibus viam sterneret varia sinistra, & erronea amplectendi sensa; si enim plebs indocta, spiritualisque sensus ignara legat linguam vernaculam illud Cant. I. v. I. *osculetur me osculò oris sui; leva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Aut illud Osee I. v. 2. *vade, sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum, diversas dilabetur in abissos, illosque libros sacros erroribus esse refertos, aut ad flagitia homines invitari judicabit, aut Codices à Spiritu Sancto inspiratos pravitatis arbitrabitur accusandos.* Quo in genere narrat Bellarminus lib. 2. de Verbo DEI, audivisse se ab homine fide digno, cum in Anglia Minister Calvinianus fortè in templo legeret lingua vulgari Cap. 25. Eccles. ubi multa dicuntur de malitia mulierum, surrexisse feminam quandam, & exclamasse: *istudne est Verbum DEI? imo potius verbum diaboli est.* Insuper ergo, & iniquè prorsus carpunt Protestantes Ecclesiam Romanam, quòd Scripturam vernaculam linguam abscondendo, Laicis deneget cibum, quò spiritualiter nutriantur, & quædam crudelitatis specie panem ipsis interdicit, quò sustententur: est quidem Scriptura animæ cibus, non tamen propria vulgi buccam mandendus, sed per ora Pastorum, & Doctorum in os idiotarum transfundendus juxta illud Malach. 2. v. 7. *labia Sacerdotis custodiant scientiam, & legem requirent ex ore ejus: item illud Æggæi 2. v. 12. interrogate Sacerdotes legem Domini.*

VII.

Claram pariter esse Scripturam Sacram, ut pateat cuivis vetulæ evangelizare volenti apud Lutheranos, Princeps negat Apostolorum in Epist. 2. c. 3. v. 16. dicens: *sunt quædam (in Epistolis Pauli) difficilia intellectu.* Porro Scripturæ obscuritas plerumque ex variis ejusdem sensibus oritur, cum hi subinde sint literales, sive historici, subinde Spirituales, sive mystici, qui ambo in eodem textu non raro reperiuntur: Sic Jonæ 2. v. 1. dicitur: *& erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus quem textum de semetipso exponit Christus mysticè Matth. 12. v. 40. sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus,*

& tribus noctibus. Duplicem ergo dari sensum litteralem scripturæ, proprium scilicet, qui per ipsa verba immediatè significatur, & improprium, qui ex scribentis intentione importatur, constans est Patrum traditio contra Hæreticos quosdam contendentes: unicum dari sensum *Litteralem*, quo falso ex principio *Abyssini* frontem baptizati ferro candenti inurunt, delusi sensu *litterali* illius versus 11. Matth. 3. *ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.*

VIII.

Idcirco, ut omne in his erroris periculum submoveatur, generaliter Sectariis negamus, iudicium circa genuitatem sacre Scripturæ ex ipsa Scriptura esse repetendum, est enim regula inanimatorum fidei se non explicans viva voce: aut ex *Spiritu privato*, Ezech. 13. v. 3. reprobato; *væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur Spiritum suum, & nihil vident*, esse desumendum, sed unice ad Ecclesiam, Concilia Generalia, ac summum Pontificem pertinere contendimus, genuitatem sacrorum librorum, legitimam versionem, ac sensum iudicare: *Evangelio siquidem non crederem*, ait S. Augustinus contra Epist. fundam. c. 5. *nisi me Ecclesiæ moveret auctoritas.*

IX.

Sacrorum Librorum scriptores ita à Spiritu sancto dirigebantur, ut sententias non solum, sed & singula verba ex speciali ejus inspiratione conscriberint: & dixit Dominus ad me: ecce dedi verba mea in ore tuo. Jerem. 1. v. 9. *omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum.* 2. Tim. 2. v. 13. *Nonne ly omnis complectitur omnia sacris Litteris contenta sive magna, sive parva, sive historica, sive Prophetica, aut recte vivendi præcepta.* Porro ex styli diversitate scandalizatis remedium sit considerare: Spiritum sanctum se educationi, & genio scriptorum accomodasse, talia iisdem inspirando verba, qualia adhibuissent, si rem à se conceptam verbis propriis expressissent. Hinc per *Isaiam* in aula Regis enutritum, & eruditum loquitur Stylo eleganti, humiliori autem per *Amos* gregum pastorem ad prophetandum assumptum. Instantiâ idipsum declarat *Annatus* lib. 2. art. 6. desumpta à tibicine, qui adhibita tenui tibia subtiles effingit modulos, adhibita crassiore etiam profundiorum edit tonum, non alia de causa, nisi quòd tonus conformetur ad connaturalem instrumenti exigentiam.

X.

Quamvis autem omnia, quæ continentur in Bibliis, nobis per Ecclesiam propositis, infallibili fide credenda sint; quia tamen non omnia, quæ ad fidei dogmata pertinent, aut ad mores, in Verbo DEI scripto explicitè continentur v.g. æqualitas Filii cum Patre, unitas personæ in Christo, Dominicæ diei in Sabbati locum substitutio, Baptismus parvulorum, imò, cum multa Apostolos, & Ecclesiam edocuerit Christus post resurrectionem suam per *quadraginta dies apprensus eis, & loquens de Regno DEI Act. 1. v. 3.*

v. 3. ideo præter Verbum DEI scriptum necessariò admittendum est alterum viva voce traditum, nempe Traditiones Divinæ, & Apostolica tam doctrinales, quàm morales; perspicuum enim est, quòd non omnia per Epistolam tradiderunt (Apostoli) sed multa etiam sine scripto, & ea quoque sunt fide digna. Quamobrèm Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam; est traditio, nihil ampliùs queras. S. Chrysoströmus in c. 2. ad Tessal. Hom. 4. Vides, cujus veritatis sit Pragmaticum Protestantium dogma: nihil esse credendum, nihil necessariò servandum, nisi quod explicite in Scriptura continetur, contra expressum Apostoli præceptum 2. Tessal. 2. v. 14. *tene traditiones.*

De Ecclesia.

I.

Ibi veram Christi Ecclesiam agnoscimus, ubi defacto cum unitate fidei sanctitas doctrinæ, & morum à Christo tradita, & ab Apostolis per orbem diffusa hodieum reperitur; vera siquidem Ecclesia Religionem præfert à DEO ordinatam, qua ipse colit, & hominem salvari vult: ergo debet esse una; quia non est dissensionis DEUS 1. Corinth. 14. v. 33. *sancta*; quia *lex Domini immaculata* Psal. 18. v. 8. *Catholica*, sive *Universalis*; quia eam ingredi obligantur omnes. *Antiqua*, & *Apostolica*; quia erecta est super fundamentum Apostolorum, & *Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu* Eph. 2. v. 20. His quatuor notis in Symbolo Constantinopolitano relatis: *Credo . . . Unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam* sola Societas Romano-Catholica insignita est, de qua Augustinus lib. 1. de Symb. c. 6. *ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica contra omnes hæreses pugnans; pugnare potest, expugnari non potest.* Fundatores ergo malignantium, & dissidentium Ecclesiarum suarum qui sint? unde, & quando venerint? lustrent Sectarii, & scient, unde sint excisi, atque n̄ perire velint, ad portum Ecclesiæ Catholicæ remeandum esse plenè perspicient.

II.

Hujus Ecclesiæ membra falsè dicuntur à *Wiccleffo*, *Huss*, & *Calvino* soli iusti, electi, & prædestinati; enimvero si Christus in Collegio suo passus est peccatores tum publicos, tum privatos, cur Christi Ecclesia hos non pateretur habere in corpore suo? omnes ergo sancti sunt fideles, sed non omnes fideles sunt sancti, scribit S. Hieronimus in c. 1. Epist. ad Ephes. Hæreticos autem non esse, nisi membra rescissa Christi Ecclesiæ, Apostolus Joannes commemorat in Epist. sua 1. c. 2. v. 19. *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.*

III.

Dum Hæretici ad palliandas sectas suas defectionem Ecclesiæ obrendunt, omnes Veteres Hæreticos in hoc imitantur, qui equidem, ut suis novis erroribus fucum facerent, Ecclesiam defecisse sunt criminati. Interea

reà bona causa pati potest, succumbere non potest: patitur Ecclesia hæresum insultus, & per omne quasi sæculum passa est; at quia Christus eam velut sapiens Architectus ædificavit supra petram, petræ firmitate reddidit indefectibilem, quam nullum unquam lapsus terreret periculum; unde quamvis hætenus variis errorum fluctibus fuerit exagitata, nunquam tamen defecit, nec defectura est aliquando; quia *portæ inferi non prævalent adversus eam.* Matth. 16. v. 18. imò si hanc, cujus innocentia tot Divinis fulcitur testimoniis, adhuc aliquando defecisse prætendant sectarii, quomodo certi sunt de veritate suæ nunquam signo aliquò Divinò approbatæ Ecclesiæ? qui probare poterunt, quod & ipsa non erret continuè?

IV.

In controversiam quidem non vocamus, Ecclesiam esse *invisibilem* quoad dona Spiritualia, & pugnam illam Spiritualem, qua contra mundum, carnem, & diabolum militat; at *visibilem* propugnamus quoad unionem membrorum in externa fidei professione, Sacramentorum communione, & hierarchica gubernatione sub uno visibili capite, nam Christus posuit eam non sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Ex quo non immeritò contra eos cum S. Augustino tract. 2. in Joan. (explicante illud Isaïæ c. 2. v. 2. *erit novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium*) concludimus: *quid amplius dicturus sum, quam cæcos, qui tam magnum montem non videant?* Dein Christus Matth. 18. v. 17. jubet fideles recurrere ad Ecclesiam, ac illius iudicium requirere: *quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*, qualiter autem recurrent? ubi illam invenient, si reverà, ut fingunt Protestantes, invisibilis ex toto asseratur?

V.

In Ecclesia inveniri Ordinem Presbyteratûs à Laicorum munere penitus distinctum contra *Lutherum* lib. de abrog. Miss. Priv. P. 1. & *Calvinum* lib. 4. Inst. c. 4. è Sacris Promptuariis elicimus ad Ephes. 4. v. 11. *Ipsè dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi.* Joan. 20. v. 23. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ad Hebr. 5. v. 4. *nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à DEO sicut Aaron.* Quibus in textibus altum est silentium influxus prætensi, ac imaginarii, populi in dictos characteres; quare justo DEI iudicio confixa est hæc *Quesnelli* propositio 90. *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, nec eam exerceat per Primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis, quem ità deprædicat consensum, ut Jansenistis viam aperiat latam, Pontificia Decreta cavillandi, ac Spiritûs sancti oraculis resistendi, quo ex alveari non apes mel colligentes, sed locustæ libertatis æstro percitæ caulem Dominicum*

nicum mor sibiſ ulcerantibus ſauciantes prodeunt, quibus bellè quadrat illud Matth. 18. v. 17. *ſi autem Eccleſiam non audièrit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.*

VI.

Statuimus ſimiliter, Episcopos ex institutione Divina Presbyteris Superiores eſſe tam poteſtate Ordinis, quàm juriſdictionis, ut decernit Tridentinum Seſſ. 23. c. 4. *Proinde Sacroſancta Synodus declarat præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Episcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere . . . eosque Presbyteris Superiores eſſe, ac Sacramentum Confirmationis conferre, Miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia plerâque peragere ipſos poſſe: quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.*

De Romano Pontifice,

I.

CHRISTUS Caput fidelium, & Paſtor bonus, ne abiens ad Patrem videretur ſuas oves reliquiſſe viduatas duce, & paſtore, Petrum, non ſimul Paulum conſtituit ſuum in terris Vicarium Matth. 16. v. 18. & 19. quo loco Servator aliis quoque præſentibus diſcipulis ſoli Petro ſuam Divinitatem conſtitenti dixit: *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam . . . tibi dabo claves Regni Cælorum.* Quod promiſſum Joan. 21. adimplevit: *paſce agnos meos.* Et iterum: *paſce oves meas:* Petro deſuncto, cum nihilominus uſque ad ſæculi conſummationem oves Chriſti eſſent futuræ: vel inde inferitur, neceſſarium fuiſſe alterius in eadem Capitis, & Paſtoris authoritate ſucceſſionem, niſi fors ita deſipiamus, ut velimus Chriſtum ovili perpetuo temporarium Paſtorem ſuffeciſſe. Quod itaque legitimus Petri Succęſſor, Vicarius Chriſti in terris, & viſibile caput Eccleſiæ ſit Romanus, non Antiochenus Episcopus, contra Sęctarios defendimus univerſim.

II.

Quia teſte Gregorio, cum Paſtor per abrupta graditur, neceſſe eſt, ut per præcipitium grex ſequatur: idèò infallibile dicimus eſſe hujus ſupremi Capitis Romani Pontificis ex Cathedra loquentis judicium; ità, ut ſpeciali Spiritûs ſancti aſſiſtentiâ prolatum, ne leviffimo quidem ſubeſſe poſſit errori in rebus fidei, & morum, aliàs non ſponſam ſibi pudicam, & caſtam juxta illud: *pulchra es, & decora nimis, ſed adulteram in fide acquiſiſſet ſanguine ſuo Chriſtus JESUS.* Hęc Pontificiæ infallibilitatis prærogativa eò ſe porrigit, ut Papa etiam in definiendis quæſtionibus *facti dogmatici*, ſeu *facti* connexi cum quæſtione *juris* ab omni errandi periculo ſit immunis. Non aſſequer, qua ratione Janſeniſtæ Pontificem in definiendo *jure* infallibilem fateantur, quem tamen in definiendo *facto* errandi periculo obnoxium hodièdum clamant? an non ex quiditate ſenſûs v. g. libri Janſenii, quod *facti* eſt, deducenda eſt ſenſûs qualitas, num orthodoxus, vel heterodoxus ſit, quod *juris* eſt?

III.

Constitutiones igitur Romanorum Pontificum Pii V. quæ incip. *Ex omnibus*, in qua 79. propositiones Michaelis Baii damnantur: Innocentii X. *cùm occasione*, in qua 5. propositiones Cornelii Jansenii, in libro *Augustinus contentæ*, proscribuntur: ac tandem famosa Clementis XI. Bulla: *Unigenitus DEI Filius*, in qua 101. propositiones in libro Paschafii Quesnelli, *Reflexiones Morales in Novum Testamentum* nuncupato, configuntur, dogmatica sunt, & irreformabilia Ecclesiæ judicia, quibus non solo Religiosò silentiò, ut *Janseniani* vocant, satisfieri putamus, sed iis simul cordis, & mentis obsequium devovendum firmiter tenemus, prout Clemens XI. in Bulla: *Vineam Domini Sabbaoth* decrevit. Suffragatur nobis Benedictus XIV. qui A. C. 1756. die 18. Octobris Bullam incip. *Ex omnibus Cbristianis Orbis Regionibus*, edidit de obligatione Sacramenta denegandi, Constitutionem *Unigenitus* acceptare detrectantibus: ac simul Zelosissimus Archiepiscopus Parisiensis Christophorus de Beaumont, qui Monasterium Monialium, quas *Hospitalarias* appellant, in suburbiis Parisiorum Bullæ *Unigenitus* refractarias sacris interdixit, ac insuper vetuit, ne demortuâ Abbatissâ ad alterius electionem procedere præsumerent, priusquam ab interdicto solvantur; neque silentium à Rege Ludovico XV. in merito Bullæ *Unigenitus* imperatum servandum esse voluit in sua Pastoralis Instructione A. C. 1756. emanata sub n. 75. ità differens: *Verùm sancta sponsa JESU Cbristi, prædicatione Verbi Divini nata, nunquam se submittit silentio, ex quo alterari possent sua principia, & dogmata.*

IV.

Ex quo in Concilio Constantiensi *Wiccleffus*, & *Hufs* atro carbone notati sunt, Instituta Religiosorum à Diabolo introducta calumniantes, verum manet, Summum Pontificem in approbatione *Ordinum Religiosorum* errare non posse; quia Papa approbans Ordinem Religiosum proponit toti Ecclesiæ aliquod vitæ genus tanquam honestum, pium, sanctum, Evangelicæ perfectioni consentaneum; tale itaque vitæ genus necessario honestum, pium, & sanctum est, aliquoin enim deciperet Ecclesiam in re summi momenti ad animarum salutem, & mores spectante, quod fieri non potest: unde S. Thomas Opusc. 19. c. 4. inquit: *cùm aliqua religio per sedem Apostolicam instituta est, manifestè se damnabilem ostendit, qui talem Religionem damnare conatur.* Non video igitur, qua fronte Melchior Canus ex *Incluto Dominicanorum Ordine* Vir aliàs eruditissimus lib. 3. de loc. Theolog. c. 5. scribere sit ausus: *nostro sæculo tam multæ sunt Religiones à Papa confirmatæ, ut qui eas tueri velit tanquam Ecclesiæ utiles, hic impudentia, ne dicam stultitiæ jure optimo arguatur.* Quæ verba tantæ acerbitalis plena, mirum sanè est, è Tanti Viri calamo profluere potuisse. Certe ad Angelici Doctoris mentem minimè exacta sunt.

Execrantes doctrinam *Wiccleffi* teste *Thoma Waldensi* tom. 3. de *Sacramentalibus* c. 122. impudentissimè blaterantis: Papam errare posse in *Canonizatione* sanctorum non minùs, ac Regem *Ethiopiæ*, aut *Turcam*, aut *Sultanum*, iudicium Papæ in hoc grandi Religionis negotio infallibile suspicimus: enimvero Pontifex ex *Cathedra* pronuncians errare non potest in fidei, morumque decretis toti *Ecclesiæ* proponendis, eamque obligantibus, universam autem *Ecclesiam* per *Canonizationis* decretum obligari produnt verba *Sixti IV.* in *Canonizatione S. Bonaventuræ*: *Hunc sanctum esse, fideliter, firmiterque teneri debere decernimus.* Item *Leonis X.* in *Canonizatione S. Francisci de Paula*: *Decernimus, & definimus esse receptum in gloria.* Et *divertè* quidem pertinet ad mores, cum sit de cultu religioso: ad *fidem* verò saltem *indirectè*, cum obliget ad firmiter tenendum *canonizatum* beata in celis immortalitate potiri; *Adeoq̄que honor, quem sanctis exhibemus* (ait *Doctor Angelicus* quodlib. 9. art. 16.) *quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus.*

VI.

An verò *Romanus Pontifex* ita sit infallibilis in *Beatificatione* Sanctorum? non est certum apud omnes. Nos cum *Viva Quæst. Prodroma Trutinæ Theologicæ* n. 11. infallibilem agnoscimus; quia Pontifex beatificans *Sanctum Missæ sacrificiò*, hoc est concedens, ut *Missæ sacrificium* in illius honorem celebretur, toti *Ecclesiæ* venerandum proponit, cum totius *Ecclesiæ* nomine *Sacrificium* offeratur, ipsaque tota *Ecclesia* mediante *Ministro*, & medio *sacrificio* ab illo oblato *sanctum* illum honorat.

VII.

Dogma insuper fidei est: Pontificem ritè electum, & ab universa *Ecclesia* acceptatum, hodie *Clementem XIII.* sanctissimè regnantem, esse verum *Christi* in terris *Vicarium*, & *D. Petri* Successorem, & hoc quidem, priùsquam actum aliquem exercent Pontificium, aut proponat *Ecclesiæ* aliquid de fide credendum; effectus siquidem non dat esse suæ causæ, sed præsupponit. Id quod ex *Constitutione Martini V.* in *Conc. Constantiensi* haud difficulter eruimus, qua præcipitur, ut *Ecclesiæ* reconciliari cupientes *Hæretici* interrogentur: *An credant, quod Papa Canonicè electus, qui pro tempore fuerit* (ejus nomine expresso) *sit Successor S. Petri habens supremam potestatem in Ecclesia DEI?* Supponit itaque Pontifex id esse de fide, cum exigit, ut credatur.

VIII.

Papam omni *Concilio Oecumenico Superiore* contra quosdam *Gallicæ Theologos* veneramur; proscripta enim est per *Alexandrum VIII.* propositio n. 29. *futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate.* Ostendant *Adversarii* ex Verbo

DEI, ubi Christus Episcopus in Concilio congregatos supremum Pastorem vocaverit? ubi ad Concilium dixerit: *pasce Petrum, & ejus Successores?* sicut enim jurisconsultus erubescit loqui sine lege, ita erubescat Polemicus loqui sine Verbo DEI Scripto, vel Tradito. Cæterum auctoritatem Papæ supra Concilium Generale nec decreta Concilii Constantiensis Sess. 4. & 6. nec prætenfa *Veritas Catholica* Concilii Basileensis Sess. 28. & 33. convellunt: si enim Concilium auctoritate Papæ firmitus esset, quomodo esse posset, ut Pontifex confirmet Concilium? an infirmitas vires habeat ad robur addendum firmitati?

IX.

Porro cum Verorum Societas Christianorum originem trahat ab Apostolis à Christo missis, eandemque cum ipsis doctrinam profiteatur: quod & ejusdem Societatis Pastores hodieum legitimam missionem, ac successionem habere debeant, latè quâ patet, orbi conspicuum est. Proferant idcirco, si possunt Sectarii suorum *Novatorum Lutheri, Calvini &c.* vocationis à Christo, & missionis testimonium, & *Reformatores venerabimur*; petemus autem ab iis prius, quod Tertullianus lib. de præscient. de sui temporis Hæreticis: *Qui estis vos, & quando venistis? & ubi tamdiu latuistis?*

X.

Verba Christi: *pasce oves meas* Joan. c. 21. v. 17. ad Papam in persona Petri prolata, potestatem illimitatam, & generalem concedunt eidem in terris ad rectum, & conveniens Ecclesiæ gubernium necessariam: unde quâ legislator Ecclesiasticus non tantummodò actus *externos*, sed etiam merè *internos* tam lege *directiva*, quàm *coactiva* coactione *interna* præcipere, vel prohibere potest; Ecclesia quippe non ità corpora, quam animas, earum beatitudinem intendendo gubernat. Jus istud sibi arrogâsse (quis dicet perperam?) præter alios Romanos Pontifices Benedictum XIV. scimus ex ejusdem Bulla: *Cum super oblatas* edita A. C. 1744. quæ præcipit, ut Parochi Sacrificium Missæ singulis quibusque Dominicis, ac Festis de præcepto pro commisso sibi populo offerant, medium ejusdem fructum populo applicent, neque Sacrificium diebus illis pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione elemosynam percipere possint: item ut in Ecclesiis *Parochialibus, Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis* quot diebus una Missa, quæ *conventualis* dicitur, pro eorundem Ecclesiarum Benefactoribus generatim applicetur: ubi *intentio* applicandi fructum medium Missæ actus est merè *internus* cum Missæ Sacrificio *per se & ex natura sua* minimè *connexus*, quippe quod de se sine illa intentione ritè peragi potest.

De Conciliis.

I.

ORigo Sacrorum Ecclesiæ Conciliorum ab ipso Christo petenda est, qui adhuc inter mortales agens, ut de sua Divinitate fidem firmaret in Apostolis, convocatis iis in unum, hanc eis discutiendam proposuit quæstionem:

tionem: *Quem dicunt homines esse filium hominis? quam Petrus futurus Ecclesiæ Primas resolvit dicens: Tu es Christus Filius DEI vivi: quam decisionem divinitus inspiratam illico testatur Salvator Matth. 16 v. 17. Beatus es Simon Bar-Jona; quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Itaque*

II.

Concilia Generalia sub legitimo capite congregata in materia fidei, & morum (intellige in substantia rei moralis, non autem quoad circumstantias à prudentia humana pendentes) totam Ecclesiam concernentium infallibilia sunt, nec possunt errare; habent enim in Divinis Litteris promissam sibi Spiritus Sancti assistentiam singularem, qua in fidei, morumque definitionibus ab errore defendantur. Joan. 16. v. 13. spondetur Apostolis, & in eorum persona Epscopis Apostolorum successoribus: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Obstruæta per hoc manent ora Sectariorum loquentium iniqua, dum Conciliis non nisi vim tribuunt *simplicis inquisitionis*, ac unicuique liberum esse docent rejicere, aut recipere Decreta Conciliorum, ac sæpè Concilio numerosissimo, etsi numerum vinceret arenarum, unum aliquem virum doctum præferri oportere, adè, ut effutiat *Lutherus*: non pluris se facere Concilium integrum, quàm Parochi unius industriam, vel Ludimagistri autoritatem, rémq; putat insanam esse, insanus ipse Hæresiarcha præfiniri velle à Concilio, quid credendum sit, cum sæpè (inquit) nec unus ibi adsit, qui Divinum Spiritum vel modicum olfecerit.

III.

Solius Romani Pontificis est Generalia convocare Concilia, & iisdem vel per se, vel per Legatos præsidere; Christus enim soli Petro, & in persona Petri Romano Antistiti hanc concessit autoritatem, dum in Cælum ascensurus Petro in littore piscanti, & non Tiberio Romæ imperanti suam regendam commisit Ecclesiam Joan. 21. v. 15. *pasce agnos meos.* & v. 17. *pasce oves meas.* Ad Concilium soli Episcopi, & Prælati Ecclesiæ, non item Laici admittuntur; nam Christus Ecclesiam suam ædificavit super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum: & Act. 20. Paulus non Laicos, sed Episcopos jubet regere Ecclesiam DEI; hinc si quandòque etiam Imperatores Sacris Conciliis interfuisse legantur, non tanquam *Judices* suffragandi jure pollentes, sed tantùm ut *Advocati*, qui salutarium decisionum executionem apud suos subditos urgerent, præsentés fuère. Monarchæ pariter quandòque in Conciliorum convocatione à Papa salutabantur, ut pecunias in Concilii sumptus contribuerent, Præsulibus profecturis opem ferrent, curriculos, aliaque illis ad proficiscendum necessaria subministrarent.

De flatu Mortuorum, & Resurgentium, de Paradiso, Inferno, deque Purgatorio.

I.

Systema *Cbiliastarum*, seu *Millennariorum*, qui docent: Christum ante ultimum judicii diem adhuc semel visibiliter venturum, & post Generalem carnis resurrectionem mille annis cum suis in terris regnaturum, nullum in Scriptura habet fundamentum; si enim de mente castissimi Ecclesie Sponsi Matth. 22. v. 30. *in resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli DEI*; si contestante Paulo Rom. 4. v. 17. *non est regnum DEI esca, & potus*; qua fronte *Millennarii* asserere audent, illud mille annorum Regnum Christi in voluptatibus carnis transigendum? merito proinde à Damaso in Romano Concilio A. C. 373. celebrato, tanquam sacris litteris adversa, *Millennariorum* hæresis fuit proscripita.

II.

Irrito prorsus conatu quidam primis Ecclesie sæculis, *particulare judicium* in egressu animæ à corpore repudiantes, Divinam sententiam de proelio innocentibus largiendo usque ad diem generalis judicii suspendendam prædicarunt; protestatur enim scriptura Hebr. 9. v. 27. *statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem judicium*. Item Eccles. 11. v. 28. *facile est coram DEO in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas... & in fine hominis denudatio operum illius*. Audis nobis & judicium, & retributionem in morte denunciari. Hinc

III.

Animabus justorum plenè purgatis, & quibus nihil luendum superest, nullatenus, ut somniabant *Armeni*, alique sectarii, post extremum usque judicium gloria prorogatur, sed statim ac corpore salutæ sunt, DEUM beatificè vident teste Psalmographo Psal. 126. v. 3. *Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*: ex Glossario autem Patrum dormire, est corporalem mortem subire. Idipsum definiuit Benedictus XII. in Extravag. *Benedictus DEUS*. Et Concilia Oecumenica Lugdunense II. A. C. 1274. in professione fidei: Florentinum A. C. 1439. in decreto unionis, ubi disertè confirmat: animas purgatas in Cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum DEUM Trinum, & Unum, sicuti est.

IV.

Quid de Joanne XXII. quoad hoc sentiendum, *polemicè* disputatur, & *criticè*, Hæreticis (ex quibus *Calvinus* lib. 4. Instit. c. 7. §. 28.) calumniantibus, illum *Remorantium* doctrinam toti Ecclesie credendam proposuisse, quibusdam verò Catholicorum, ut Doctorem Privatum reverà tenuisse, opinantibus. Contra quos ita procedendum duximus. Joannes XXII. nunquam totam Ecclesiam ad credendum adstrinxit, animas sine macula decedentes

dentes retardari à visione beatifica, prout liquidò patet ex declaratione ab ipso coram Sacrae Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus facta A. C. 1334. die 3. Januarii. Item responso Theologorum Parisiensium ad Philippum Francorum Regem, atque Diplomate canonizationis Sanctorum Thomæ Aquinatis, Ludovici Tolosani, & Thomæ Herfordiensis. Imo nec id ut Doctor Privatus assertivè judicavit, aut docuit; *Allegavit enim auctoritates pro remora semper recitando, & nihil determinando, asserendo, seu etiam opinando.* Epist. Univers. Paris, ad Joannem.

V.

Quæstionem de mortuorum resurrectione intricatam valde, & ab humanæ rationis intelligentia remotam censemus: quis enim fide destitutus capiet contingere posse, ut corpus mortuum in cineres redactum, à feris laniatum, & quandoque ab *Antropophagis* comestum ità recolligatur, ut omnibûs suis vestitum membris, ac partibûs, revertente pristina anima reviviscat, siatque individuus ille homo, qui antea erat? Difficultas ista satis per id declaratur, quòd discipuli Christi ea, quæ à mulieribus de ejus resurrectione dicebantur, ut deliramenta arbitrati sint, eumque ut præsentem videntes, Spiritum, aut phantasma esse, non verum hominem reputarint, quos inter S. Thomas se crediturum negavit, donec manibûs, oculisque Dominici corporis veritatem exploraret, quam *incredulitatem eorum, & cordis durtiam* Dominus in cælum ascensurus increpavit, eò quòd his, qui viderant ipsum resurrexisse, non credidissent.

VI.

Possibilem, imo futuram mortuorum resurrectionem stabilitam reperimus Job. 19. v. 25. Scio enim, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum. Matth. 25. v. 32. & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis. 1. Corinth. 15. v. 12. si autem Christus prædicatur, quòd resurrexit à mortuis, quomodò quidam dicunt quoniam resurrectio mortuorum non est? Hujusmodi resurrectionem generalem fore tam respectù *Electorum*, quàm *Reproborum* rursus perhibent plures Sacrae Scripturæ textus, Joan. 5. v. 28. nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii DEI. v. 29. & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii. Et Act. 24. v. 15. Paulus se apud Felicem Præsidem defendens ait: *Spem habens in DEUM, quam & hi ipsi expectant resurrectionem futuram justorum, & iniquorum.*

VII.

Resurget autem idem corpus palpabile, & visibile contra *Eutychetem* aliud corpus impalpabile fore fingentem, quanquam à S. Gregorio M. convictus in morte quoad hoc catholicè cantaverit. Non tamen in corporibus omnibus idem erit sexus principalior, nam Regina Austri surget Luc. II. v. 31. An omnes etiam hi, qui in ipsa judicii die debitum nondum solverant nature,

nat uræ , morituri sint , sicque transituri ad immortalitatem , a Criticis hodie disputatur : nos crisi excessum non admittentes , sed caute limites statuentes , edicimus : conformius esse scripturæ , non esse hominem , qui vivet , & non videbit mortem . Psal. 88. Venerabilis Joannes Duns Scotus 4. Dist. 43. q. 5. n. 10. & Augustinus lib. 20. de Civ. DEI. c. 20. censent ejusmodi justos homines in ipso illo raptu morituros , quo per Angelos rapiuntur in aera in locum judicii , & mox iterum vivificandos . Ex illo Ephes. 4. v. 13. donec occurramus omnes in virum perfectum , in mensuram ætatis plenitudinis Christi , conjecturamus , omnes in ætate juvenili triginta , aut triginta quatuor annorum resurrekturos . Si quæris : quando hæc erunt ? respondemus ipsiusmet Christi Domini verbis Matth. 24. v. 36. De die autem illa , & hora nemo scit , neque Angeli Cælorum , nisi solus Pater .

VIII.

Signa quædam judicium ultimum antecessura indicantur Joel. 2. v. 10. à facie ejus contremuit terra , moti sunt cæli : sol , & luna obtenebrati sunt , & stellæ retraxerunt splendorem suum v. 11. Magnus enim dies Domini , & terribilis valde , & quis sustinebit eum ? Quibus congruunt Sacra N. T. Eloquia Luc. 21. v. 25. Et erunt signa in Sole , & Luna , & Stellis , & in terris presura gentium præ confusione sonitus maris , & fluctuum . v. 27. & tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna , & majestate . Signis istis alia ab aliis Authoribus annumerantur , vix tamen habent aliquam probabilitatis speciem , 15. signa Hieronymo attributa , quæ nequaquam approbavit , sed unicè se in Hebræorum Annalibus deprehendisse testatur .

IX.

D. N. J. Christus venturus judicare vivos , & mortuos non descendet in vallem Josaphat , quæ inter mœnia Jerosolymæ , & montem Oliveti sita , à torrente Cedron interluitur , sed super montem Oliveti , de quo in cælum ascendit , residebit in aere , loco alto , ut conspici ab omnibus possit , circa locum illum , in quo Apostoli corporaliter ipsum videre desierunt , quando ascendit in Cælum Hic JESUS , qui assumptus est à vobis in cælum , sic venit , quemadmodum vidistis eum euntem in Cælum . Act. 1. v. 11. Electis circa ipsum undique in aere circumstantibus juxta illud 1. Tessal. 4. v. 16. Rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera ; Reprobis verò in valle , aliisque circumjacentibus locis consistentibus , quod indicat Joel c. 3. v. 12. consurgant , & ascendant gentes in vallem Josaphat , quia ibi sedebo , ut judicem omnes gentes in circuitu .

X.

Pueri ante rationis usum mortui , sive Baptismi undâ tingantur , sive non , in judicio extremo sunt sistendi , non certè ut judicio discussionis , sed retributionis subsint ; hinc licèt nihil boni , aut mali personalis fuerint operati , quia tamen gloria , aut pœnâ digni sunt , sententiæ judicis retribuen-

tribuentis veniunt præsentandi, ut desumimus ex Apocal. 20. v. 12. *Et vidi mortuos magnos, & pusillos in conspectu throni.*

XI.

Quatuor in scriptura memorantur dotes, quibus Corpora Beatorum ornabuntur, his versibus expressæ:

*Clari, subtiles, agiles, impassibilesque
Omnes quadruplici pollebunt dote beati.*

Audi Paulum 1. Corinth. 15. de Corpore nostro loquentem: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, ecce Impassibilitatem! Seminatur in ignobilitate, surget in gloria, ecce Claritatem! Seminatur in infirmitate, surget in virtute, ecce Agilitatem! Seminatur corpus animale, surget spirituale, ecce Subtilitatem! Simile quid invenitur Sap. 3. v. 7. Fulgebunt, en Claritatem! iusti, en Impassibilitatem! & tanquam Scintillæ, en Subtilitatem! in arundineto discurrent, en Agilitatem.* Has vero sanctorum prærogativas ea ratione à Theologis *Dotes* vocari existima, quod à DEO animæ beati tanquam Sponsæ instar dotis tribuantur.

XII.

Planè alia erit fors damnatorum: *Omnes quidem resurgemus*, ait Paulus 1. Corinth. 15. v. 51. *sed non omnes immutabimur per gloriam.* In istis namque erit primò *Passibilitas*, quoniam ibi erit fletus, & stridor dentium Luc. 13. v. 28. *ibi dolor perpetuus non interit, sed affligit*, ait Augustinus in Enchirid. c. 92. Secundo corpora damnatorum omnis erunt *Claritatis* expertia, cum tota dehinc æternitate terrâ miseriæ, & tenebrarum claudenda sint: *Ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat:* Tertio neque *Agilitate* donabuntur, utpote ligatis manibus, & pedibus in tenebras exteriores projicienda. Magna quoque adhæc omnia supplicii fiet accessio ex *Incorruptibilitate* corporum: *In diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis:* Apocal. 9. v. 46-

XIII.

Inferni nomine non semper intelligitur Damnatorum carcer, ex quo nulla speranda liberatio, ut patet ex Psal. 29. v. 4. Domine eduxisti ab inferno animam meam; unde alius non denegandus est locus, qui *Limbi* nomine insignitur, quem ingressus est Christus Act. 2. v. 27. ut justorum animas ibi detentas eriperet, non autem ut peccatis oneratis libertatem, aut pænæ remissionem impertiret, quæ in inferno *Damnatorum* ita est perpetua, sicut *Electorum* in Cælo beatitudo æterna, ut alternationes *Origenis*, quibus transacta aliquot annorum serie Beatos in præsentem hanc vitam denuo remittit, inde iterum ad gloriam, ac ex Dæmonibus homines quondam salvandos, si voluerint, ex hominibus verò Dæmones facit, prout Hieronymus Epist. 59. ad Avitum recenset, *circulum non modò vitiosum, sed hæreticum, Sa-*

cris Peginis adversum judicemus, in quibus Cælicolas inter, & Damnatos
Tantum chaos firmatum est, ut, qui volunt hinc transire ad illos, non possint,
neque inde huc transmeare. Luc. 16. v. 26. Ex hoc

XIV.

Contra illud, quod Joannes Diaconus lib. 2. de vita S. Gregorii c. 44.
refert, non tam criticè, quàm dogmaticè propugnamus, quòd Trajani Im-
peratoris ex Inferis liberatio (quæ gemitibus, & precibus S. Gregorii Magni
exorata dicitur) fabulosa sit, ac prorsus commentitia; consecrari à Theo-
logo veritatis amante anilis instar fabulæ exsufflanda. Certè S. Gregorius
Magnus factò huic ipsemet contradicit, dum Lib. 9. Moral. ità differit: *Qui-*
quis ad toleranda inferni mala descendit, nequaquam ad lucem ulterius redi-
bit, quia nequaquam ultra misericordia parcentis liberat, quos semel in locis
pœnabilibus justitia judicantis damnat: hinc rectè ille in Ibin:

*Nec mortis pœnas mors altera finiet bujus,
Horæque erit tantis ultima nulla malis.*

XV.

Cæterùm cujus fidei sint Moderni Pseudo-Politici, Infernum, commentum,
ad coercendos in suis obligationibus homines, esse, quasi in scelerum
lethargo somniantes, facilè perspicuum est ex verbis Christi Matth. 2. v. 41.
Discedite à me maledicti in ignem æternum. Et Apoc. 20. v. 9. & 10. *Diabo-*
lus missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi & Bestia, & Pseudo-Propheta
cruciabuntur die ac nocte. Unde S. Gregorius lib. 34. c. 16. ait: Si enim falsa
minatus est DEUS, ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa pollicitus est, ut ad
justitiam provocaret. De his prodiit distichum illud:

*Sic vivunt homines, tanquam mors nulla sequatur,
Et velut infernus fabula vana foret.*

XVI.

Origenistæ ab errore alio notabili non sunt excusandi, quoties in In-
ferno corporeum ignem existere negant contra Cap. 25. v. 41. Matth. *Tunc*
dicet his, qui à sinistris erunt: discedite à me maledicti in ignem æternum.
Marc. 9. v. 44. *Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos*
pedes habentem mitti in gebennam ignis inextinguibilis, v. 45. Ubi vermis cor-
rum non moritur, & ignis non extinguitur. Cæterùm Divinæ consonum est
Providentiæ, ut sicut aqua ad scorias iniquorum abstergendas in Baptismo fuit
assignata, ità ignis ad peccatorum reliquias purificandas sit determinatus,
à quo Spiritus Infernales actione reali quidem, non tamen physica, sed in-
tentionali cruciantur, quatenus ad ejus considerationem alligati sunt, &
ignis se eis objectivè considerandum exhibet, quem tamen ipsi considerare
nolunt, & debent in æternum.

XVII.

Præter *Inferni* autem pœnas dari *Lustralem Carcerem*, in quo animæ decedentes cum veniali, aut pœnâ temporali restante detinentur, quoad usque novissimum solvant quadrantem, conformiter Orthodoxæ fidei propugnamus, & contra Recentiores Heterodoxos dogma præfens in Scriptura fundatum esse revincimus ex Matth. c. 5. v. 25. Item ex Epist. Pauli 1. Corinth. 15. Nec non ex 2. Machab. c. 12. Ut inde in damnum suum flammæ illas exhibilantes rideant; quia negantibus has non superest, nisi *Infernus*. Pro illis denique, qui in *Purgatorio* ita morantur, orare, ut à pœnis solvantur, sancta revera, & salubris est cogitatio, quia id præprimis pietas suadet, & charitas exigit fraterna 1. Joan. 3. *Qui viderit fratrem suum habere necessitatem, & clauserit viscera sua: quomodo charitas DEI manet in eo?*

XVIII.

Tempora nostra plures numerant *Pseudo-Politicos*: animarum *Apparitiones* inter ægroti cerebri deliramenta, aut infantia præjudicia rejicientes: sed edicant hi an ex inanibus præjudiciis nata dici possit persuasio, quæ ex apertis Scripturæ sententiis, Sanctorum Patrum Testimoniis, & perpetuo Summorum Pontificum sensu perspicuè eruitur? 1. Reg. c. 28. Sauli apparuit anima demortui Samuelis: Matth. 24. v. 52. & 53. refertur: *Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt: & exeuntes de monumentis . . . venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis*: S. Augustinus de cura pro mortuis c. 15. ita differit: *Mitti ad vivos aliquos ex mortuis, sicut è contrario, quod Paulus ex vivis in paradysum raptus est, Divina Scriptura testatur: & S. Thomas in Supplem. 3. p. q. 69. a. 3. in ☉ ita loquitur: Augustinus . . . narrat de Felice Martyre, qui Civibus Nolanis visibiliter comparuit, cum à Barbaris oppugnarentur. Et hoc etiam credi potest, quòd aliquando de damnatis contingat, quod ad eruditionem hominum, & terrorem permittuntur viventibus comparere, aut etiam ad suffragia expetenda, quantum ad illos, qui in purgatorio detinentur. Claudio thesim autoritate Benedicti XIV. lib. 4. de Serv. DEI. beatif. c. 32. ita discurruntis: *Apparent animæ Beatorum, ut vel certiores faciant aliquos de sua felicitate, vel ut DEI mandata ad nos perferant, vel ut ad virtutem hortentur, vel ut ægris, & morientibus assistant, aut alia nobis præstent beneficia. Apparent animæ Damnatorum tamquam præcones Divinae justitiæ, & ita nos vitam instituere docent, ne & ipsi pari pœna plectamur. Apparent animæ Purgantes, ut nostris adjunctæ suffragiis citius pœnis liberentur. Nusquam autem legimus apparuisse animas Puerorum, qui solo originali peccato decesserunt; cum jurari suffragiis nostris non possint, nec in eorum apparitionibus inesse posse videatur utilitas, aut virtutis exemplum.**

De Indulgentiis.

I.

Fide Catholica certum est, *Theſaurum Eccleſiæ præcipuè, ac primariò* coaleſcere ex meritis, & ſatisfactionibus Chriſti infinitis, ac ſuperabundantibus, ad quem minùs principaliter influunt merita Sanctorum, eorùmque paſſiones, viâ non tantùm *ſuffragii, & impetrationis, ſed & ſolutionis,* cùm eos inter varii inveniantur, qui majora ſuſtinuerunt, tórmenta, quam culpis eorum deberentur. An non glorioſiſſima Virgo plus, quam debuerit, paſſa eſt, quandoquidem nulli omnino peccato ſeu originali, ſeu actuali obnoxia fuit? exiſtimandum ſanè non eſt, Apoſtolos, tótque Martyrum catervas tam enormia ſcelera perpetrâſſe, ut perſecutiones eorum ſuperabundanter non compensâſſent pœnas temporales iisdem correfpondentes. Audi Paulum de ſeiſo 2. Corinth. 11. v. 23. *Plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.* Et ad Coloff. 1. v. 24. *Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.*

II.

Summo Præſuli ineſſe Privilegium è Spirituali Eccleſiæ Theſauro diſpenſandi fidelibùs *Indulgentias,* evincunt verba Chriſti Matth. 16. v. 19. *Quodcunque ligaveris ſuper terram &c.* Item Matth. 18. v. eodem: *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis,* quæ generaliſſima promiſſio utique etiam ad vincula reatùs pœnæ temporaliſ à vitæ æternæ conſecutione remorantia diſrumpenda extenditur. Et ſi ex verbis illis: *Quæcunque alligaveritis,* colligit Calvinus Ipſe: Eccleſiam accepiſſe poteſtatem coercendi pœnis etiam ſatisfactoriis, cur ex iſtis: *Quæcunque ſolveritis* non colligit, Eam accepiſſe poteſtatem pœnas, quas inflixit, relaxandi, vel condonandi?

III.

Hac poteſtate à Chriſto accepta uſi ſunt ipſi Apoſtoli, cujus magnificum exemplum ſuppeditat S. Paulus adverſùs Corinthium inceſtuoſum 2. Corinth. 2. v. 6. quem, cùm *Satanæ* in interitum carniſ tradidiſſet, poſt annum abſolvit, & à proluxiori pœna indulgentiùs eum liberavit: unde ibidem v. 10. ait: *Cui autem aliquid donaviſtis, & ego. Nam & ego, quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti.* Exorbitant idcirco illi extra veritatis aleam, qui voces illas: *relaxationem, remiſſionem, indulgentiam, donationem* ante Gregorium VII. inauditas arbitrantur, *Indulgentiarumque* nativitatem ante annos 200. abditam fuiſſe credunt.

IV.

Id tamen non actum imus, ut *Indulgentiarum* fructum titulò juſtitie *rigoroſæ* animabus in Domino quieſcentibus prodeſſe tueamur, nullam quippe

pe de simili titulo conspiciere possumus sponsonem à Christo, qui est Dominus arbitrarius in elargiendis gratiis suis; sufficit Patientibus Animabus misericordiæ beneficiò succuri. Idcirco scribit Petrus Damianus Ep. 5. ad Dominicum c. 4. animam Benedicti Pontificis Romani apparuisse cuidam, suffragia postulâsse, & addidisse: *se per suffragia liberandum, quando hoc miseratio Divina decreverit.* Propterea.

V.

Pronunciare non erubescimus, incertum esse, qua mensura *Purgatorii* pœnæ defunctis per *Indulgentias* relaxentur, quia nos latet fervor, ac gradus devotionis à viventibus mortuis applicatus, eorûmque cum Deo in charitate unio: quapropter *Maldonatus* Tract. de *Indulg.* q. 6. improbat illam *Indulgentias* conferendi formam: *Qui hoc, vel illud fecerit, liberabit unam animam de Purgatorio*; quia inquit ille: *nemo scit, quantum debeat pœnarum anima illa, quæ liberanda est, ut judicari possit, satis esse illud suffragium ad liberandam illam.* Altaria igitur *Privilegiata* tantâ non gaudent prærogativâ, ut cum in illis *Missa* legitur pro defuncto aliquo, is statim Cœlo reddatur; quis enim certò definiat, quod ab una pendet DEI voluntate? esto major quædam *Indulgentia* his Altaribus Pontificia autoritate concedatur, quis tamen sit certus illius effectus, ignoramus. Nihilominus tamen de ejusmodi animæ liberatione *moralis* certitudo desumi potest ex modo loquendi Summorum Pontificum, qui in *Brevibus Altarium Privilegiatorum* concedere solent, *ut, quicumque Sacerdos, servatis servandis, ac diebus in Brevi specificatis, Missam Defunctorum pro anima cujuscunque fidelium Defunctorum ad præfatum Altare celebrabit, anima ipsa de Thesaurò Ecclesiæ per modum Suffragii Indulgentiam consequatur; ita Domini nostri &c. suffragantibus meritis, Purgatorii pœnis liberetur.* Ubi ponderandum ly *pro anima cujuscunque*, ac ly *anima ipsa &c.* nam hujusmodi locutio promittit liberationem animæ determinatæ è *Purgatorio*.

VI.

Indulgentiarum virtus pœnas temporales futuri sæculi coram DEO extinguit; aliàs multùm deciperentur fideles, qui mitissimis hujus sæculi pœnis relaxatis longè acerbiores in futuro luere cogerentur; quare non aliam mente Martyres olim libellos *Indulgentiæ* lapsis tribuebant, quam ut etiam coram DEO à pœnis in altera vita luendis liberentur, & cum pace à Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur, ait S. Cyprianus Epist. 19. lib. 3. Errant, qui autumant, satisfactiones DEUM non placare, sed solam Ecclesiam peccatis scandalizatam contra Joel. 2. v. 12. Jonæ 3. v. 5. Tob. 4. v. 7.

VII.

Meritò, & rationabiliter sustineri potest Celebrem, & Insignem *Indulgentiam Portiunculæ* per *Seraphicum Patrem Nostrum Franciscum A.C. 1221.* post

post fundatam Religionem annò 14. in Sacello S. Mariæ Angelorum prope Assisium in Umbria à Christo impetratam, à Papa Honorio III. confirmatam, à septem Cardinalibus miraculosè promulgatam, 2. Augusti à Primis Vesperis usque ad occasum solis in omnibus Ecclesiis Fratrum Minorum à cunctis utriusque sexus Christi fidelibus *Toties Quoties* esse lucrabilem. An non rectè id sustinetur, quod universali fidelium persuasione, & fide firmatur? quod immemorabili populorum consuetudine roboratur, etiam Romæ in facie Ecclesiæ, non à simplicibus tantùm, sed & doctis, piisque viris, Prælatibus, Cardinalibus, Pontificibus diem istum continuè visitationibus infumentibus, ut proinde de harum visitationum, & transituum licitate quærenti jure responderi possit cum Augustino Epist. 118. *Insolentissima insania est disputare, an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia?* Id quod evidentius fit ex declaratione S. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, qua 17. Julii A. C. 1700. controversiam inter Episcopum *Labacensem*, & P. Antonium *Lazari* Provinciale Ministerium subortam sustulit respondendo: *servandum esse solitum*. Quid autem solitum erat, nisi *Portiunculæ* Indulgentiam *Toties Quoties* lucrabilem populo deprædicare? risum exprimis, si *ly Toties Quoties* ad meriti augmentum referas, fortè hoc tam conspicui Litigantes in dubium vocârunt, quod simplici etiam, & rudi Catholico est compertum, Ecclesias frequentanti meritum adaugeri? Vide etiam Benedictum XIV. de Synod. Diœces. lib. 13. c. 18. §. 5. Nov. Edit. ubi de Indulgentiæ *Portiunculæ* valore, ejusque extensione ad omnes alias Ecclesias Ordinis S. Francisci ampliùs ambigere vetat, nullo licèt exstante authentico documento, scientibus, & non contradicentibus Romanis Pontificibus. Quare verum manet:

*Maxima Francisco datur Indulgentia Patri,
Hanc tanquam propriam possidet Ordo Minor.*

De DEO, ejusque Divinis attributis.

I.

DEUM existere non tantùm fides docet, *Credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia est* Hebr. 11. v. 6. Verùm etiam creaturæ visibiles conclamant conformiter ad illud Psal. 99. v. 3. *Scitote, quoniam Dominus ipse est DEUS, ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Quinimo evidenter demonstrant teste S. Augustino, qui Tract. 2. in Joan. inquit: *DEUS inveniri potest per creaturas evidenter dicente Apostolo: invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, ut adeò ignorantia ejus non possit non esse culpabilis in adulto etiam Brasilo; nam si tantùm potuerunt scire (Divini Spiritus Sap. 3. est argumentum) ut possint estimare sæculum, quomodò hujus Dominum facilius non invenerunt? Atque itaque nemo nascitur, sed primùm sensim fit non honestatis, sed infrunitæ libertatis amor, quæ demum ità hominis intellectum excæcat, ut DEUM, quem natu-*

rali

rali lumine ignorare non potest, saltem non esse sibi ipsi fingat, & mentiatur, ne aliter vindice malorum admissio à suis turpitudinibus arceatur.

II.

Quantum verò facile est nosse, quod sit, tantum difficile edicere: quid sit DEUS: enimverò, quæ DEI sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus DEI. 1. Corinth. 2. v. 11. Si tamen de DEO loquamur, ut à nobis pro viæ statu percipi potest, ille ex communi omnium saniorum idea, & notione Ens audit infinite perfectum, quo nihil melius, aut perfectius cogitari potest; & hinc aggregatum ex DEO, & creaturis non est perfectius, quam sit solus DEUS: creaturæ enim respectu DEI sunt quasi nihil: *Substantia mea quasi nihilum ante te* Psal. 38. v. 6. Pulchrè ad rem nostram differit S. Augustinus Tract. 11. in Joan. *Si fueris sine DEO, minor eris: si fueris cum DEO, major DEUS non erit, non ex te ille major, sed tu sine illo minor.* Porro prædicatum primario DEI constitutum reponimus in infinite radicali, hæc quippe Divinam Essentiam captui nostro vel maximè revelat, dum ex vi vocis totam quodammodo menti nostræ objicit Divinæ plenitudinem Essentiæ.

III.

Unicus tantum datur DEUS: *Videte, quod ego sim solus, & non sit alius DEUS præter me.* Deuter. 32. v. 39. Et hinc vel per ipsam Paginam Sacram cum universo Polytheorum grege proscribuntur Marcionitæ, & Manichæi admittentes Duo rerum Principia, seu Duos DEOS, unum bonum, qui legis novæ, alterum malum, qui legis veteris sit author. Imo ipsa ratio naturalis, distans repugnare plura summa bona, evidenter convincit Polytheismum implicare, ut ita non in connexè concludat Tertul. lib. 1. contra Marcionem: *DEUS, si unus, non est, non est.* Neque erroris sui insaniam perinde tuentur, quod à summo bono mala proficisci non posse arbitrentur, nam si teste Apostolo Tim. 4. v. 4. *Omnis creatura bona est, malum culpæ, quod propriè tale dicitur, natura aliqua, vel substantia dici non potest, quam necesse foret ab Efficiente Causa Summa produci: sed est ipsa deficientia ipsius creaturæ ab illa Sempiterna Bonitate, à qua liberè producta est.* In physicis autem malis, si quæ nocent, in pœnam peccati nocent, Amos 3. v. 6. *Si erit in civitate malum, quod Dominus non fecerit, quæ pœna in ultionem criminis inflata utique rationem boni habet, cum bonum sit punire malos juxta illud: Maledictus, qui parcat gladio.* Jerem. 48. v. 10.

IV.

Qui à DEO Æternitatem alienare præsumeret, in Sacra Divini Spiritus Oracula apertè impingere convinceretur; etenim Psal. 101. v. 28. dicitur: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Psal. 89. v. 2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à sæculo, & usque in sæculum*

tu es DEUS. Exod. 15. v. 18. Dominus regnabit in aeternum, & ultra. Equali pondere motivorum DEO attribuere necesse est Infinitatem, quam illi adimere nituntur Sociniani: Magnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis ejus non est finis. Psal. 144. v. 3.

V.

Nullò DEUS limitatur locò, est enim, ut fides docet, Immensus, & omnibus rebus substantialiter præsens; ut meritò dicat Regius Psaltes Psal. 138. v. 8. Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernam adei. Fatui ergo sunt Platonici, DEUM Excelsum, & Immensum Baruch 3. v. 25. intra confictam sphaeram igneam occludentes: Delirantes sunt quidam Judæi teste Hieronymo in c. 66. Isaia, DEO, *cujus templum est totus mundus*, ut ait Cyprianus lib. de vanit. Idol. pro habitatione Jerofolymitanum duntaxat templum assignantes: meritò pariter irridendus Steuchus Eugubinus, qui in Psal. 138. DEUM *excelsiorem cælo . . . profundiorem terrâ* Job. II. v. 8. secundum suam substantiam in cælo solùm collocavit. Nec DEUS est ubique præsens tantùm secundum virtutem operandi, ut cum Socinianis vult Worstius, Crellius &c. sed est ubique præsens secundum substantiam, & entitatem; DEUS *ubique totus . . . implens cælum, & terram præsentè potentia non absente natura*. Augustinus lib. 7. de Civ. DEI. c. 26.

VI.

DEUM Immutabilem esse, fidei est dogma: Ego enim Dominus, & non mutor, Malach. 3. v. 6. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, Jac. I. v. 17. Quod & gravi ratione roboratur: Si aliqua in DEO foret mutatio, vel esset ad melius? quæ DEUM utpote Ens Optimum tollit, vel in pejus? quæ DEO rationem Perfectissimi Entis adimeret, vel in æquale? quæ Deorum inferret pluralitatem; nam æquale DEO est DEUS: jure proinde explodenda est opinio Stoicorum fabulantium: Deum mutationi obnoxium referente Origene lib. 3. contra Celsum; non minus Socinianorum, illi mutationem non quidem ex parte substantiæ, sed ratione Decretorum attribuentium. Non igitur DEUS, dum in tempore quidpiam creat de novo, ob id mutatur in se; quia, ut inquit Augustinus lib. 12. de Civ. DEI. c. 17. v. 12. *Ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhibet consilium.*

VII.

Spiritus est DEUS Joan. 4. v. 24. quò oraculò configitur error Antropomorphitarum, qui IV. Ecclesiæ seculò invaluerunt, illud Genes. I. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram* plus aequò materialiter intelligentes, DEOque humanam, & corpoream formam tribuentes. An in hujus erroris suspicionem trahendus sit Tertullianus? controversit vertitur inter Criticos; videtur tamen benignius interpretandus, prout fecit ipsemet Augustinus lib. de Hæres. Hæresi 86. ubi postquam asseruit, quòd Tertullianus contendat DEUM esse corpus, subdit; *Neque tamen hinc credi-*

creditur Hæreticus factus: posset enim quoquo modo putari, ipsam naturam, substantiamque Divinam corpus vocare, præsertim, cum ipse Tertullianus lib. de carne Christi se explicet, dum ait: Omne, quod est, esse, corpus sui generis; id est: aliquo sensu.

VII.

Cæterùm Spiritualitas DEI de veritate foret suspecta, si de ejusdem Simplicitate dubitare liceret: Est ergo DEUS purus Spiritus summè simplex, omnem omnino excludens compositionem. Inter Essentiam nihilominus, & Attributa Divina, quod aliqua *aleitas* ex natura rei habeatur, argumentò suò ex via contradictionis desumptò benè revincit Scotus, quod argumentum, cum ab errore *Gilberti Porretani* penitus sit alienum, tutè illam salva fide in Divinis subsistere propugnamus.

De Invisibilitate DEI; ejusdem Intellectu, ac Voluntate; deque Divina Ipsius Providentia.

I.

DEUS oculò corporeò absolutè videri nequit: *Carnèis quidem oculis* (inquit Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 9.) *cerni DEUS non potest; nam incorporeum sub corporeos oculos cadere nequit; Nec unquam Augustinus oppositum sensit; nam in Ep. 6. ad Italicam expressè asserit: Hoc autem (nempe Divinitatem) oculus videre corporeus neque nunc potest, neque tunc poterit; Et hinc monet Tridentinum Sess. 25. in Decr. de Invoc. Sanct. Docetur populus, non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit.*

II.

Imo nec oculò mentis solis naturæ viribus relicto DEUS videri potest, contra quod superbè jactabant *Eunomiani*, & *Aetiani* à Sanctis Basilio, & Gregorio Naz. refutati: nec non errorem hunc labente Sæculo XIV. insipide recoquentes *Beguardi*, & *Beguinæ* (non illæ, quæ adstrictæ voto sanctæ, & religiosè vivebant juxta Constitutiones sibi à *S. Begga* S. Gertrudis sorore traditas, sed sceminae sine voto & liberè in contubernio viventes *Beguardorum*, ac cujusdam *Margaritæ Porretæ* errores sequentes) à Concilio Viennensi sub Clemente V. damnati: verba enim Scripturæ Sacræ, quæ frequenter dicunt: DEUM esse invisibilem, significant: *DEUM invisibilem esse ex natura*, ait S. Aug. Ep. 112. c. 14.

III.

Idem tamen mentis oculus per virtutem supernaturalem (quam *lumen gloriæ* brevi antefatum Concilium vocitat) roborari potest ad DEUM immedie in sua Essentia, & non in *Theophania*, seu luce quadam à DEO manante, ut volebant *Palamitæ*, intuitivè conspiciendum. Spondet hanc

visionem non solum Paulus 1. Corinth. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem*: Et Joannes Ep. 1. c. 3. v. 2. *Videbimus eum, sicuti est*: Verum etiam ipse Servator apud Matth. 5. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt*. His Scripturæ Testimoniis & Armeni profligantur vertente VII. Ecclesiæ sæculo præfractè defendentes: DEUM in se nec supernaturaliter videri posse. Nec hæresi huic unquam patrocinator est Joannes Chrysostomus Hom. 23. in Gen. aut alibi, quia non visionem DEI in se, sed solum *comprehensivam* asserit esse impossibilem.

IV.

Quamvis autem intellectus creatus lumine gloriæ suffultus ad intuitivam DEI visionem assurgere valeat, non tamen ita, ut ad comprehensivum ejusdem conspectum pertingat; est enim *Magnus consilio, & Incomprehensibilis cogitatu* Jerem. 32. v. 19. Quis proinde non rideat *Aetii, & Euzonomii* temeritatem, ac amentiam, quæ eousque excrevit, ut referente Epiphonio Hær. 71. non sint veriti se se jactare, quòd tantam DEI noticiam habeant, quantam de seipso habet DEUS. Sed saniora docet Augustinus Serm. 117. aliàs 38. de Verb. Dom. *Sit pia confessio ignorantie magis, quam temeraria professio scientiæ; attingere aliquantulum mente DEUM magna beatitudo est; comprehendere omnino impossibile*.

V.

Utrùm verò homini puro viatori (Virginem Deiparam hìc in quæstionem vocare non intendimus) unquam concessa fuerit clara DEI visio, non una est iterum *Criticorum* opinio, alii affirmant, negant alii, nobis placet tanquam verosimilior sententia negativa, cui in hærentes dicimus, nec *Moyse* facie ad faciem locutum Domino, nec *D. Paulum* ad tertium cælum raptum, nec *Seraphicum Patrem nostrum Franciscum* in monte *Alvernie*, nec ullum alium in hac vita mortali DEUM intuitivè vidisse, id quod ex illa in plurimis Scripturæ locis expressa generali lege de non videndo, & non viso DEO in hac vita inferimus: Sic DEUS *Moyse* desideranti videre Essentiam Divinam respondit: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet*: Exodi 33. v. 20. Et *Paulus* ipse cupivit prius dissolvi, ut possit esse cum Christo ad Philip. 1. v. 23.

VI.

Nulli ergo conceditur Divino perfrui conspectu, nisi morâ hospitii hujus expletâ. Unde stante communi opinione, qua cum Gregorio M. Hom. 29. & Augustino lib. 1. de peccat. merit. & remis. sustinetur: *Eliam, & Enoch* nondum obiisse diem suum, sed defactò versari in corpore mortali confectarium est, etiam eos necdum sorte Sanctorum, & DEI visione esse donatos. Nec interest, quòd aliis in vita tantum *charitatis officium*, his verò

verò jam jam *apoteosis* exhibeatur triumphus, uti Ecclesia approbante specialiter Sacrum *Carmelitanum* agit Institutum: nam horum futurus gloriosus è vita exitus est revelatus, non aliorum.

VII.

Multùm erravit *Jovinianus*, & cum eo *Lutherus*, & *Calvinus*, qui putabant: Christi justiciam nobis imputari, & æqualiter per fidem applicari, & ideo æqualem esse visionem in omnibus Beatis: nam secundum Apostolum 1. Corinth. 15. v. 41. *Stella differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum*, cujus inæqualitas moraliter oritur ab inæqualitate meritum; Nam unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem 1. Corinth. 3. v. 8. in quem locum Theodoretus ait: *Non enim omnes justii ejusdem proemii erunt participes, sed rectè factis congruam habebunt remunerationem.* Id quod declarat Florentinum in Decreto unionis, & Tridentinum Sess. 7. c. 16.

VIII.

Esto autem visio clara DEI justorum animas beatas reddat, non tamen totaliter; nam beatitudo adæquatè sumpta non consistit in sola visione, sed complectitur duplicem operationem, nempe intellectûs, & voluntatis, puta: tum visionem, tum fruitionem; unde Catechismus Romanus in illa verba Symboli vitam aeternam, ait: *Solida beatitudo, quam essentialem communi nomine licet vocare, in eo posita est, ut DEUM videamus, ejusque pulchritudine perfruamur.* Et S. Dyonisius de Cœlest. Hierarch. c. 7. *In his beatitudo constat: cognoscere, & amare DEUM.*

IX.

Decidimus hætenus, quomodo DEUS ab intellectu creato videri possit, nunc superest statuere, quam ratione ipse DEUS creaturas, ceu objecta *secundaria & terminativa* videat, & infallibili intuitu perspiciat. Cùm autem DEUM Ens in omni genere perfectissimum ex fide, & ratione teneamus, levi negotio Eundem scientiâ omnium cognoscibilem perfectissimâ præditum illis exhibebimus Erronibus, qui cum *Gnosticis*, & *Lollardis* circa Sæculum XIV. hac, aliisque impietatibus plures *Germaniæ* partes inficientibus apud Job. c. 22. v. 14. de DEO impiè vociferantur: *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cali perambulat.* Divina ergo scientia, quamvis in se *Simplicissima*, utpote eadem cum DEO, nostrò tamen intelligendi modò pro objectorum diversitate diversimodè dispescitur: Alia enim est *simplicis intelligentiæ*, qua omnia possibile infallibiliter cognoscit, & videt, alia *visionis*, qua intuetur omnia præsentia, præterita, & futura. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus.* Hebr. 13. v. 4. & Sap. 8. v. 8. *Scit præterita, & de futuris aestimat.* Unde etiam.

X.

Certissimè præcognoscit omnia futura libera, & contingentia. Præscientia enim rerum liberè futurarum est invidium Divinitatis argumentum sic, ut DEUS ipse apud Isaiam c. 41. v. 22. Diis gentium exprobrat: *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.* Favet nobis D. Aquinas 3. p. q. 1. a. 5. ad 2. *Numquid possumus dicere: Syrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, cum Ipse DEUS attestetur eis, quòd acturi essent pœnitentiam, si in eis facta fuissent Divinarum illa signa Virtutum.*

XI.

Quia verò Res, quas condidit, teste Augustino lib. 7. de Civ. Dei. c. 30. ità administrat DEUS, ut eas motus suos agere sinat, ac inde sicut in tempore concursu creaturæ liberæ actionem concomitante simul efficit effectum ipsis placitum: ità non minùs ab æterno simultanéè cum voluntate creatæ, quam eminenter ut Liberum Primum indubitate præcontinet in genere causæ volitivæ condeterminavit futurum; consequenter pessimè hìc Calvinistæ cum Wiccleffo inferunt debitum sectandæ virtutis extingui in homine per Divinam Præscientiam futurorum; nam cum DEUS ea fieri velit decreto virtuali eminenter involvente liberum usum, ac voluntatis creatæ determinationem, futura talia manent libera; & quia Præscientia causa non est futuritionis rerum, sed earum futuritionem supponit (*Non enim ex eo, quòd DEUS scit futurum aliquid, idcirco futurum est, sed quia futurum est, DEUS novit, quasi præsciens futurorum,* S. Hieronymus in c. 26. Jerem.) neutiquam creatæ voluntatis perimit libertatem, nec imponit antecedentem necessitatem: *Ante hominem vita, & mors, quòdcunque placuerit ei, dabitur illi,* Eccles. 15. v. 18. Et denique hìc non abnuimus Calvino, omnia omnino, & singula esse prævisa: at priusquàm virtutum exercitia improbet, remouet, necessum est, quòd illa, quæ devoti virtutum suffragiò quærunt impetrare, ità sint prævisa, ut non possint precibus impetrari.

XII.

Veram esse in DEO Providentiam, qua omnes creaturas etiam minutissimas ad debitos, & præfixos fines ordinat, est fidei Dogma Sap. 14. & plurimis aliis in locis contra Machiavellum, Pardesanem, Priscillianistam. Hanc verò DEUS maximè manifestat in cura humanæ salutis; DEUS enim, quantum est ex parte sua *Nolens perire aliquem* 2. Petr. 3. v. 9. *sincerè, non metaphoricè, aut illusoriè, ut sacrilegè sentiunt Hussitæ, Calvinistæ, & Janseniani etiam peccato originali supposito, vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, media verè sufficientia ad id conferendo: Numquid voluntatis meæ est mors impij, & non, ut convertatur à viis suis, & vivat?* Ezech. 18. v. 23. Hinc & Christus non pro Electis

Electis tantum, ut perperam tradunt Jansenista, sed pro Omnibus omnino Hominibus sanguinem fudit in pretium. 1. Tim. 2. v. 5. Unus enim DEUS, unus & mediator DEI, & hominum homo Christus JESUS, qui dedit semetipsum pro omnibus.

XIII.

Principem inter Divinæ Providentiæ actus locum tenet *Prædestinatio, & Reprobatio*. Datur itaque *Prædestinatio* contra *Manichæos*, ac *Priscillianistas*, unumquemque hominem naturâ suâ malum, vel bonum, salvandum, vel reprobandum nasci asserentes: Item contra *Pelagianos, & Semipelagianos* S. Augustino *Prædestinationem* ex fide docenti reluctantes, quæ ad salutem adeo necessaria est, ut hanc nullus consequatur, nisi prædestinatus; *Nec enim quisquam eorum, quos DEUS non prædestinavit ad vitam, ulla potest ratione salvari*, S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum: quæ tamen nequaquam liberum hominis evertit arbitrium contra *Godeschalcum*.

XIV.

An autem hæc ipsa *Prædestinatio* ad gloriam facta sit ante, vel post prævisa merita? lis manet defactò sub iudice, qua pendente, cum nihil innovandum, hac in parte antiquum Patrum sensum eligentes decernimus: DEUM eodem modo ab æterno gloriam *Electis* suis destinasse, quo eam re ipsa confert in tempore: consecrariè non ante prædestinavit, quàm præscivit, sed *quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit*, S. Ambrosius lib. 5. c. 8. Obinde meritò Petrus Epist. 2. c. I. v. 10. exhortatur: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

XV.

Et quia Bonus Dominus minimè movetur ad puniendum, nisi culpâ præsuppositâ, *blasphemè* prorsus refundit *Calvinus* in eum causam perditionis hominis, quasi nempe *Reprobos* independentè à prævisis eorum demeritis supplicii addixisset æternis: ubi tamen contrarium ipse Dominus patenter contestatur Ezech. 18. v. 32. *Nolo mortem morientis . . . revertimini, & vivite* Sap. 1. v. 13. *DEUS mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum.* Osee 13. v. 9. *Perditio tua ex te Israel.* Bonus est DEUS, justus est DEUS: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest, quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est: S. Augustinus lib. 3. contra Julian. c. 18.

De DEO Trino.

I.

Sublimissimum Tri. Unius DEI Mysterium, nisi fides credat, sermo evidenter non explicat: *Generationem ejus quis enarrabit? Isa. 53. v. 8.* Quare rationi sibi relictæ silentium indicentes, loquenti fidei obsequentem

porrigimus aurem, & cum universo reatè credentium cœtu DEUM ^{UNUM} in Essentia, *Trinum* in Personis veneamur cernui; etenim *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* I. Joan. 5. v. 7.

II.

Pro Altissimo hoc Sanctissimæ Triados Arcano etiam ex libris Veteris Testamenti contra perfidos *Judeos* comprobando Divina non desunt Oracula; & hæc inter speciali calculo dignum est illud Gen. i. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:* in quo textu *ly Faciamus*, & *ly Nostram* in plurali positum designat Personarum pluralitatem, quarum una alteram alloquitur; *ly ad Imaginem* verò, & *Similitudinem* in singulari prolatum, notat Essentiæ unitatem. Simile quid est illud Gen. ii. v. 7. Ubi Dominus dixisse refertur: *Venite, descendamus, & fundamus ibi linguas eorum:* Ad quod appositè S. Joannes Chryostomus, Serm. de Trin. *Vide autem obsecro, quomodo Patris vox Filium, & Spiritum Sanctum vocet? Nam si ad unum solum hoc dictum esset, debebat dicere: Veni, & descendamus; quia autem dixit: Venite, unius est vox ad duos æquales.* Perperam proinde docent *Sociniani*, nullam hujus Dogmatis in Veteri Testamento fieri mentionem, illudque *Hebræis* fuisse prorsus incognitum.

III.

In hoc profundissimo mysterio cum *Unitate* Essentiæ ita stat *Trinitas* Personarum Divinarum, ut implicet dari Personas sive plures, sive pauciores; hinc *Triformistas, Tritheistas, Metangismonistas, & Joachimum Florensem Abbatem* erroris meritò condemnamus: enimverò cum Concilio Lateranensi IV. cap. i. *Firmiter credimus, & Catholicè confitemur: quod Unus solus est Verus DEUS, Æternus, & Immensus Incommutabilis, & Incomprehensibilis, & Ineffabilis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; Tres quidem Personæ, sed Una Essentia.*

IV.

Licet autem *Tres* Illæ Deitatis Personæ uni eidemque Essentiæ realiter identificentur, inter se tamen, & ab invicem realiter distinguuntur. Erant proinde *Patripassiani* cum *Sabellio* dicitantes: unam eandemque realiter indistinctam Personam jam Patrem, jam Filium, jam Spiritum Sanctum appellari. Clarè contra hos S. Athanasius in suo Symbolo profiteretur dicens: *Alia est Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti, sed Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una est Divinitas, æqualis gloria, coeterna majestas.*

V.

Dantur in Divinis ad intra veræ, ac reales *Processiones*, pro formali in dictione, & actione spirativa consistentes; quippe Joan. 8. v. 42. ait Christus: *Ego ex DEO processi, & veni.* Et 18. v. 26. De Spiritu Sancto dicitur:

tur: *Qui à Patre procedit. Duæ duntaxat sunt in Divinis Processiones ; unde Filius Divinus non generat alium: Immoderata enim esset Divina generatio, si genitus Filius Nepotem gigneret Patri: quia & ipse Nepos, nisi Avo suo Pronepotem gigneret secundum vestram mirabilem sapientiam impotens diceretur . . . nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero nasceretur, nec eam perficeret ullus, si non sufficeret unus, S. Augustinus lib. 2. adversus Maximinum c. 12. n. 2. Cæterum præcipua, & immediata ratio: cur Processio Filii, non item Processio Spiritûs Sancti Generatio sit? Hæc est: quia Filius procedit per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem; Quod enim naturaliter nascitur, & est simile in natura, id pro filio agnoscit natura: S. Athanasius in Epist. de Decret. Synodi Nicæna.*

VI.

Est ergo Patri Divino Verus, & Unicus Filius, qui per propriam, & æternam Generationem procedit; etenim fœcunditatem suam Isaïa 66. v. 9. contestatur Pater: *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? . . . si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero? Verissima obinde applicatione illa Psal. 2. v. 7. verba: Filius meus es tu, ego hodie genui te, Apostolus Act. 13. Christo accommodat; & inde ii, qui Filium ex utero ante luciferum genitum agnoscere nolunt, erraverunt ab utero, & sinu Ecclesiæ. Exinde autem sequens veritas pronò fluit alveo.*

VII.

Christus Dominus ratione Naturæ Divinæ exstitit ante Incarnationem, & priusquam de Beatissima Virgine nasceretur: quippe jam in principio erat Verbum, id est, ut exponit S. Chrisostomus Hom. 7. in Joan. ante omnia intelligibilia, & ante sæcula; & hinc est, quòd ipse JESUS Judæis juvenutem sibi obrudentibus, & dicentibus Joan. 8. v. 57. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Responderit eodem cap. v. 58. Amen, Amen dico vobis, antequàm Abraham fieret, ego sum; si ergo fuit ante Abraham, profectò exstitit, antequàm de Virgine nasceretur.*

VIII.

Filius Divinus est Verus DEUS Patri *Consubstantialis*, id quod de seipso testatur Christus Joan. 10. v. 30. *Ego, & Pater unum sumus. Audi Augustinum Serm. 5. de Verb. Dom. Quod ait unum, audiant Ariani, quod ait sumus, audiant Sabelliani, & nec illi æqualem, nec isti alterum negando sint vani. Quare Filius DEI non nisi blasphemè inter creaturas connumeratur ab Ario, & Assæclis ejus, in quos scribens de Consubstantialitate Verbi Divini Antistes Mediolanensis ità, invehitur: Joannes dicit, erat, erat, erat, quater erat, & tamen Heretice dicit: quod non erat; cui ergo credamus, Joanni in pectore Christi recumbenti, an Ario inter effusa sua viscera volutanti?*

IX.

IX.

Prudenter itaque Patres Nicæni fidei Symbolo sacram hanc vocem *Homouſion* inferuerunt; etenim authoritas, & vigilantia Eccleſiæ eò ſe extendit, ut emergentibus novis erroribus novæ apponantur veritatis declarationes. Hoc porro vocabulum quoad ſignificatum nihil alienum à Scripturis præferret; *Quid eſt Homouſion* (verba ſunt Auguſtini lib. 3. contra Maximinum c. 14.) *niſi ego, & Pater unum ſumus? Liberius* Papa, dum *Berææ* exularet, non *ſecundæ*, aut *tertiæ*, ſed *primæ* duntaxat ſubſcripſit formulæ *Sirmienſi*: conſectariè nunquam defecit à fide Nicæna, nec detulit formulæ alicui *hereticæ*, & fidem Nicænam labefactanti.

X.

Macedoniani, qui de *Arii* ſtirpe venientes non perfidiam mutaverunt, ſed nomen: Spiritus Sancti impugnaverunt Divinitatem, dum eundem Patri *Conſubſtantialem* negaverunt: *Sociniani* verò ne fortè *Sabellianiſmi* obliſi viderentur, ultra docere: Spiritum Sanctum non eſſe aliquam Perſonam Subſiſtentem, ſed hiſ *Pneumatomachorum* inſultibus nequaquam à Catholica dimovemur veritate, quæ tradit: Spiritus Sanctus eſt Vera Perſona Divina, ſeu Verus DEUS Patri, & Filio *Conſubſtantialis*. Dogma hoc reperimus Act. 5. v. 3. Ubi Petrus *Ananiam* ſic alloquitur: *Ananiaſur tentavit Satanæ cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* moxque cui mentitus ſit, declarat: *Non eſ mentitus hominibus, ſed DEO.* Reycimus hiſ pariter opinionem eorum, qui *S. Baſilium* Cæſaræ in Cappadocia Episcopum circa Divinitatem Spiritus Sancti erraſſe opinantur; qua fronte enim huius erroris inſimulabitur ille, qui teſte Gregorio Nazianzeno *in orat. funeb. de fide Baſilii* excidium à gratia Spiritus Sancti ſibi imprecatus eſt, niſi cum Patre, & Filio ut *Conſubſtantialem*, & honore *Parem* veneraretur?

XI.

Spiritum Sanctum non à ſolo Patre, ſed à Filio quoque procedere tuemur contra toties reſumptum ſchiſma *Græcorum*, quorum *heterodoxia* validè reprimitur vel ex eo, quòd & Spiritus Sanctus *Spiritus Filii* Gal. 4. v. 6. & in Concilio Alexandrino *Spiritus veritatis* (Veritas autem Chriſtus eſt) appelletur. Jure proinde vox *Filiòque* acceſſit Symbolo *Conſtantinopolitano* contra exortum *Græcorum* errorem. Unde Patres *Florentini* Concilii, quod celebratum eſt ſub Eugenio IV. A. C. 1438. *Seſſ. 7.* ajunt: *Deſignimus inſuper, explicationem verborum illorum: Filiòque, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate licitè, ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam.*

XII.

Num autem Spiritus Sanctus, ſi per *hypothefim* reiſſa impoſſibilem concipiatur procedere à Solo Patre, adhuc diſtingueretur à Filio? In utrâque

que partem disputant Scholastici. Nos, qui in Schola subtili nutriti sumus, affirmativam Scholasticè sustinemus, sulti authoritate illorum, qui distinctionem Filii à Spiritu Sancto vel ex ipsa diversitate originis eorum calculare videntur: unum è pluribus laudamus *Anselmum*, qui lib. de Proceff. Spir. S. c. 4. in hunc modum concludit: *Si per aliud non essent plures Filius, & Spiritus Sanctus, per hoc solùm essent diversi, scilicet; quia alter nascendo, alter existit procedendo.*

De DEO Creatore.

I.

Stoici, & Epicurei, eorumque Gregales *Hobbefus, Vaninus, & alii* quidam *Spinosa* discipuli tanquam indubitatum, proclamantes axioma illud: *Ex nihilo nihil fit*, omnem eliminare creationem satagebant, quorum deliramenta per Scripturam ipsam satis detecta dignoscuntur Gen. I. v. 14. *In principio creavit DEUS Cælum, & terram. Sap. I. v. 14. Creavit autem, ut essent omnia.* Idcirco in fide errant Recentiores Philosophi illi, qui omnia *naturæ* impetu, aut occulta vi per *atomorum* concursum explicant evenisse.

II.

Mundum probabilius in Vere conditum existimamus: rationem petimus ex c. I. v. II. Gen. *Et ait: germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum.* In favorem est S. Damascenus lib. 2. *Orthod. Fid. c. I. Per solem etenim quatuor anni conversiones constituuntur, quarum prima verna est, in qua DEUS res universas condidit.*

III.

Omnia illa in *Genesi* expressa simul esse facta, nec sex dierum intervallò accidisse, Author est *Philo Judæus*, qui initio libri primi *Allegiarum legis* inquit: *Rusticana simplicitatis est putare: sex diebus mundum esse conditum*, cui concinere videtur *Augustinus* lib. II. de Civ. Dei c. 7. sed veriolem autumamus sententiam asserentem: dies, quibus DEUS creavit cælum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, *naturales* fuisse, importantes ordinem temporis, & durationis distinctè; quia si res à DEO conditas non est ad translataam detorquere significationem, ecur dies, in quibus dicuntur conditæ? In quod nos & grave rationis pondus propendere invitat de tenebrarum cum luce incompatibilitate, de aquis confusis, & postea interjectò firmamentò divisis, de terra aquis cooperta, & dein discooperta, de partibus diei, vespere, & mane; neque enim plura tempora simul esse possunt, neque plures partes ejusdem anni, vel diei.

IV.

Ea quæ *Moyfes* de *Paradiso*, de Primorum Hominum formatione, & de eorundem tentatione enarrat, non allegoricè, sed literaliter exponenda

nenda sunt. Accipe monitum Augustini Lib. I. de Gen. ad litt. c. I. Admouendum arbitror . . . illud à nobis esse flagitandum, ut ad proprietatem littere defendatur, quod gestum narrat ille, qui scripsit. Si autem in verbis DEI, vel cuiusquam personæ, in officium Propheticum assumptæ, dicitur aliquid, quod ad litteram, nisi absurdè, non possit intelligi, procul dubio figuratè dictum ob aliquam significationem accipi debet. Cùm ergo in Geneleos libro recensita historica sint, neque absurdum aliquod exinde consequatur, si ad litteram sumantur; quid enim absurdi est, quòd detur Paradisus, tanquam verus locus deliciarum plenus: quòd Adam ex limo terræ, & Eva ex costa Adami sit formata: quòd Eva à Diabolo in forma veri serpentis organò utentis sit tentata? verum manet, prædicta ad litteram proprietatem esse exponenda.

V.

Sexta creationis die creavit DEUS. primum hominem ad imaginem & similitudinem suam, Masculum, & fæminam creavit eos, scilicet Adam, & Evam Gen. 1. & 2. c. à quibus ceu Protoparentibus totum genus humanum traxit originem. Fucosa itaque est Genealogia, ac Origo Pre-Adamitarum hominum, quasi ante Adamum existentium, quam Isaac Peperius, ultra Adamum fabulosè extendit.

VI.

Primi Parentes conditi erant exempti à lege moriendi, id quod Concilium Diospolitanum contra Pelagium definivit his verbis: Quicumque dixerit: Adamum primum hominem mortalem factum, ità, ut siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit. Istud verò privilegium per peccatum sublatum est Gen. 2. v. 17. De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas, in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris, non morte animæ tantum, ut volebant Pelagiani, sed morte corporis, quod homini lapsò post prævaricationem imposita corporalis maledictio fatis ostendit, Mulieri Gen. 3. v. 16. Adæ verò v. 17. Aperta patet de hoc est doctrina Apostoli Rom. 5. v. 12. Propterea sicut per unum hominem, peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertansit, in quo omnes peccaverunt: & c. 6. v. 23. Si pendia enim peccati mors.

VII.

Immortalitas tamen primi hominis non profluxit ex naturali humana naturæ conditione, sed gratiæ fuit beneficium, ut desumitur ex Decreto Dogmatico à S. Pio V. edito, à Gregorio XIII. & Urbano VIII. confirmato, ac ab Ecclesia recepto, per quod sequens articulus 78. Michaelis Bay Doctoris Lovaniensis est confixus: Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. Quid? naturalia post peccatum in

in homine mansisse, indubitatum est apud omnes, ubi autem immortalitas? an non eam amissam quotidie lugubri experientia docemur?

VIII.

Adamo innocenti largitus est DEUS sufficiens gratiæ adjutorium, seu sine quo, cujus tanta fuerat præstantia, ut in bono, si voluisset, perseverare potuisset. Quid ergo! Adam non habuit DEI gratiam? imo vero habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat quæ de bonitate sui Conditoris acceperat . . . Sancti vero in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad DEUM: libera nos à malo . . . Ille opus non habebat hoc adjutorio, quod implorant isti, cum dicunt: video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ . . . quoniam in eis caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem: S. Augustinus lib. de correp. & grat. De mente itaque Augustini naturæ lapsæ necessarium erat adjutorium quo, seu gratia efficax; integræ autem, rebellionæ, & vitio carenti, sufficiebat adjutorium sine quo, sive gratia sufficiens.

IX.

Originalis peccati existentiam cum Pelagio Cælestius, Julianus, mox Albigenes, & novissimè Sociniani Hæretici negavère. Dicimus interim, quod peccatum originale reverà detur; quia Nemo mundus à sorde, neque infans, cujus vita est unius diei super terram LXX. in cap. 4. Job. Dicimus item: quod originale peccatum in omnes Adæ posteros, quantumvis Sanctos, non in solos infidelium filios (ut cum Calvino Zwinglius falsò comminiscitur) propageretur: siquidem Juliano objicienti: Non peccat iste, qui nascitur, non peccat iste, qui genuit, non peccat ille, qui condidit, per quas igitur rimas inter tot præsidia innocentie peccatum fingis ingressum? respondet S. Augustinus lib. 2. oper. imperf. c. 28. Quid queris latentem rimam, cum babeas apertissimam januam? nam secundum Apostolum: per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

X.

Ab hac tamen generali locutione Scripturæ: Omnes in Adam peccaverunt, Codex equidem Divinus excipit B. Virginem Cant. 4. v. 7. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te; quam in rem præclare disserit D. Bernard. Serm. 22. Qui erexit hominem lapsum, dedit Beate Virgini stanti, ne laberetur. Unde Tridentinum Sess. 5. de orig. pecc. declarat: Non esse suæ mentis comprehendere, ubi agitur de peccato, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam, quam piè professò ut talem Universitatum Doctores interposito juramenti Sacramento constanter asserunt, & Sacerdos Ordo Scraphicus sub hac Immaculatæ Conceptionis prærogativa Patronam

hyperdulicè veneratur. Capitale Scoti argumentum pro Immaculata Conceptione hoc comprehendo disticho:

*Si decuit puram servari à labe Mariam
Cur fecisse negem, quem potuisse scio.*

XI.

Peccatum Originale sic in Adæ posteros diffusum non est quædam substantia mala, quam Matthæus Illiricus à Dæmone creatam, ejusque imaginem esse asserit; sicut nec ad mentem Calvini & Lutheri ipsamet concupiscentia, quæ animam hominis ad voluptates carnis propensam reddit, & inclinam, sed formaliter, & adequatè consistit in privatione cum justitiæ originalis, tum gratiæ sanctificantis; hinc Concilium Tridentinum Sess. 5. can. 2. damnat eum, qui dicit: Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini nocuisse, & acceptam à DEO sanctitatem, & justitiam sibi soli, & non nobis etiam perdidisse.

XI.

Per Adæ peccatum liberum hominis arbitrium sauciatur, & debilitatur est, nullatenus autem extinctum; datur proinde contra Jansenistas, & Quesnellianos in statu nature lapsæ libertas ab omni prorsus necessitate, idque quoad omnes actiones etiam supernaturales: Si quis liberum arbitrium hominis post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, anathema sit, Tridentinum Sess. 6. can. 5. Et si Memoratorum Hæreticorum doctrina vera foret, quomodò veritati consonum audiret illud Gen. 4. v. 7. Nonne si bene egeris? recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.

De DEO Incarnato.

I.

Mysterium Incarnationis, quod Judæis visum est scandalum, Gentibus verò stultitia, nullam involvit repugnantiam, sed est omnino possibile; quamvis autem ejus possibilitatem nequeamus evidenter ex principis naturalibus ostendere, inde tamen non probatur impossibile: plus enim DEUS potest facere, quam nos capere: unde pulchrè hortatur Augustinus Epist. 173. ad Volusianum. c. 2. Demus DEUM aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse: in talibus enim rebus tota ratio facti est potentia facientis.

II.

JESUS Nazarenus, quem in Judæa quondam vixisse innegabilis Historicorum fides, & fama publica testatur, Verus ille Messias fuit, quem à DEO promissum Propheeta Sancti in Lege Veteri prædixerunt Luc. I. v. 68. Quia

Quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ. Spes idcirco, & expectatio Modernorum *Hebræorum*, aliunde plius fabulis *Tbalmudicis*, quam legis revelatæ veritatis detentorum, suapte natura cadit in puteum, & frustra ad excusandas excusationes in peccatis declinant contra Christum in verba malitiæ: si enim DEUS præcepit eis Deuter. c. 18. ut Prophetis post Moysen venturis crederent; qua ratione Christo non credentes excusari merentur? cùm tamen inter alia, uti eadem innegabilis fides historiæ exhibet, templi destructionem eorum Patribus, qui illam oculis propriis viderant, clarissimè prædixerit: & numquid pœna ipsa, quam jam in sæculum XVIII. Duce, & Aris destituti luunt continuè, hoc ipsum præmonstrat esse culpæ debitum? quod quamdiu continuant, à pœna illa liberari se non vident. Quare vel una mulier *Samaritana*, quæ Joan. 4. v. 25. ingenue fatetur: *Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus*, confundit *Judæorum* perfidiam, & confessionis suæ veritatem ex præsentissimo Christi colloquentis discit testimonio: *Ego sum, qui loquor tecum.*

III.

Incarnatio fuit summè conveniens DEO: est enim opus gloriæ DEI maximè manifestativum; unde est Christo Natò cecinerunt Angeli *Gloria in excelsis DEO* Luca 2. v. 14. Fuit item conveniens naturæ humanæ: hæc enim per ipsam in tantum dignificata est, & ad tantum celsitudinis gradum evecta fuit, *Ut quo attolleretur aliùs, non haberet*, inquit Augustinus. lib. de Prædest. Sanct. c. 15.

IV.

Etiã ex suppositione mundi conditi, aut hominis lapsi reparandi non fuit simpliciter necessarium DEUM incarnari: poterat enim DEUS aliò modò hominem liberare; unde S. Bernardus Epist. 190. *Quis neget ad manum omnipotentis fuisse alios, & alios modos nostræ redemptionis, justificationis, liberationis?* & S. Augustinus lib. de Agone Christi c. 11. *Sunt stulti, qui dicunt; non poterat aliter DEI Sapientia homines liberare, nisi suscipere hominem.* Imo nec ex suppositione condignæ satisfactionis præstandæ DEO pro peccato Incarnatio fuit absolutè necessaria: ex quo enim satisfactio, & redemptio Christi fuit copiosa, & superabundans, ut patet ex Psal. 129. videtur, quod à pura creatura absolutè loquendo potuisset poni satisfactio condigna, & sufficiens.

V.

Præter motum *Incarnationis* fuit dignitas, & excellentia hujus Mysterii: item glorificatio Divini Nominis, & manifestatio Divinarum Perfectionum; inquit enim Christus Joan. 17. v. 4. *Ego te clarificavi super terram: opus consummavi: & deinde subdens modum, quo ipsum clarificaverit, ait: Manifestavi nomen tuum hominibus.* Itaque etiam si Adam non peccasset, Christus tamen venisset, ut *Glorificator*.

VI.

Maria Mater JESU fuit Virgo ante, & in partu: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*: Isaia c. 7. v. 14. Id quod jam dudum de Messia Judæis ex Rab. Joden prædixit Rab. Hadarsan illud Pl. 48. v. 12. *Veritas de terra orta est*, sic explicans: *Dixit Rab. Joden . . . Et cur dixit germinabit, & non dixit nascetur? quia nimirum generatio ejus non erit similis generationibus creaturarum seculi, imo diversa absque socio.* Quin & post Christum natum ejusdem illibatæ Virginitatis flos nunquam emaruit, prout contra Bonosium, Helvidium, aliósque Antidicomarianitas definit Synodus Generalis VI. A&. II. *Nemo verò turbetur, cum audit fratres: quia fratres Domini in Evangelio vocantur consobrini ejus.* Venerabilis Beda Hom. in fer. 4. post Dom. 1. Quadrag. *Hinc fratres illi non erant filii Mariæ post Christi nativitatem ex Josepho progeniti.*

VII.

Christus JESUS verum, ac solidum habuit corpus, non umbratile phantasticum, ac mere apparens, ut voluere Saturniani, Colobrosii, &c. *Palpate enim, & videte* (Apostolis Christus ipse sui solidi ac veri corporis testimonium reddit.) *quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*, Luc. ult. Nec tamen ex cœlesti substantia fabricatum, ut somniavere Secundiani, aut extra uterum maternum ex elementis prius compositum, ut teste S. Augustino lib. de hæres. c. 23. censuere Apelliatæ, sed terrenum simile nostris sumptum ex Virgine Maria; unde Christus carnem non aliunde, sed materna traxit ex carne, id quod vel ex eo elicitur, quod Christus frequenter in Scriptura appelletur Filius hominis: *Non enim verè diceretur Filius hominis, nisi originem haberet ex homine*, inquit Ven. Beda in Lucam c. 49. Igitur

VIII.

Hoc corpus contra Aphtardocitas ante passionem, & mortem fuit verè passibile, & doloribus obnoxium: secus enim Christus non fuisset verè passus; imo totus processus passionis Christi fuisset solum delusiva quædam repræsentatio, quod est erroneum; unde Hieronymus in c. 53. *Isaia: Languores nostros, & peccata portavit, & pro nobis doluit, non putavit, ut nova, & vetus hæresis suspicatur, sed verè crucifixus est, verè doluit.*

IX.

Circa formam Corporis Christi variant Authores; videtur tamen, quod fuerit formæ elegantis, & eximiæ: quippe Chrysostomus Hom. 28. in Matth. de Christo ait: *Ut in faciendis signis erat mirabilis, sic visus gratiosus traditur fuisse.* Et certè ad sic sentiendum vel ipsa dexteritas Formatoris, qui fuit Spiritus Sanctus, apta est inducere. Nec istud Christi

si corpus anima rationali destitutum arbitreris cum *Apollinaristis*, Verbum vices illius supplevisse opinantibus; nam ipsum *DEI Verbum non pro rationali, & intelligente anima fuit in proprio corpore, sed nostram, hoc est rationalem, & intelligentem animam citra peccatum assumpsit.* Concilium Romanum sub Damaso.

X.

Unicam esse in Christo Personam, docet fides contra *Nestorium*, qui *Inarnationem* aiebat esse puram Verbi Divini in homine habitationem, sic, ut post unionem duæ sint in Christo Personæ Divina scilicet, & humana, Divina inhabitans, & humana inhabitata, ob quod anathematizatus est à Synodo Ephesina, quæ, ut testatur Concilium Nicænum II. A&. 7. *Impium Nestorium cum Collegis suis tanquam personalem dualitatem introducentem ab Ecclesia depulit.* Licet autem Unicam in Christo admittamus Personam, profiteamur nihilominus contra *Eutychetem* in hæresim *Nestorianæ* è diametro oppositam lapsam, duas in eo realiter distinctas, nullatenus confusas, aut permixtas naturas *Divinam* scilicet, & *humanam* salvæ utriusque proprietatibus. Dogma hoc habetur ex definitione Concilii Chalcedonensis, quod A&. 5. contra hæreses *Nestorii*, & *Eutychetis* tradit: *Non esse in Christo sublatam distinctionem naturarum: nusquam sublata differentia naturarum per unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ in unam personam, atque subsistentiam concurrente.*

XI.

Cum autem duæ sint in Christo naturæ, duas etiam in ipso dari voluntates, & operationes, est in apico, sic enim dogmatizat Synodus inter Generales VII. in definitione fidei: *Duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indivisè, inconvertibiliter, inconfusè secundum Sanctorum Patrum doctrinam adequatè predicamus.* Per hoc configitur error *Monothelitarum*, unicam in Christo voluntatem, & operationem statuentium, quibus *Honorius I.* Papa nequitiam favit, neque Epistolæ ab eo ad *Sergium* datæ probant, ipsum adhæsisse *Monothelitis*: dum enim in Epist. 1. ad *Sergium* asserit unam Christi voluntatem, tunc solum appellat unam per exclusionem duplicis voluntatis humanæ, quarum una sit Spiritûs, altera carnis, & rebellans adversus rectam rationem, ut constat ex *Apologia* Joannis IV. scripta pro *Honorio* ad Constantinum. Carpebatur tamen à Successoribus suis ob negligentiam examinis debiti ad gliscentes *Monothelitarum* hæreses extinguendas, quæ ut Ecclesiæ Pastor profligare debuit: unde *Leo II.* in Epist. ad Episcopos *Hispaniæ* de *Honorio* scribit: *Qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit, Apostolica auctoritate, incipientem extinxit, sed negligendo convovit.*

XII.

Nestorius in Filium impius, & in Matrem sævit, præfracte negans: *Mariam DEI Genitricem* esse; contra quem *Orthodoxè* profiteamur: *Virginem*

nem Matrem veraciter *DEI-param* appellari, id quod agnovit Concilium Nicænum II. A&. 7. *Confitemur autem & Dominam nostram sanctam Mariam propriè ac veraciter DEI Genitricem.* Et Concilium Ephesinum probavit Epistolam Cyrilli ad Nestorium, in qua dicitur: *Non dubitarent (Sancti Patres) Sacram Virginem DEI-param appellare: non quod Verbi natura, ipsiusque Divinitas ortus sui principium ex Sancta Virgine sumpserit, sed quòd sacrum illud corpus . . . ex ea traxerit, cui & DEI Verbum secundum hypostasim unitum, secundum carnem natum dicitur.*

XIII.

Sanctitas Christi erat tam eminens, ut nullum in eo fuerit reperibile peccatum; unde ipsemet Salvator Joan. 8. v. 46. ita quærit: Quis ex vobis arguet me de peccato? profectò nullus: nam, ut inquit Paulus Hebr. 2. v. 26. Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. Imo Christus nec peccare potuit: nam ob unionem *hypostaticam*, & statum beatificum non poterat dimoveri à recto; alia tamen fuit *impeccabilitas* Christi quà hominis, & alia quà *DEI*: nam solus *DEUS* est *absolutè*, & ob intrinseco *impeccabilis*, perorante pro nobis S. Joanne Chrysofomo lib. 3. de Spiritu S. c. 19. *Omnis creatura peccatorum capacitati obnoxia est, sola autem à peccato immunis, & immaculata Sempiterna Deitas.*

XIV.

Non obstante *impeccabilitate* Christus fuit liber etiam in observantia præcepti mortis; nam ut testatur Isaias c. 53. v. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit, id est, ut exponit S. Hieronymus: Non necessitate, sed voluntate crucem subiit: juxta illud Joan. 10. v. 17. & 18. Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam; nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.* Christus obinde verè, & propriè meruit: patet id ex Tridentino, quod Sess. 6. c. 7. expresse docet: *Christum esse causam meritoriam nostræ justificationis, qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione, ligno crucis nobis justificationem meruit.* Meritum tamen ejus ob infinitam dignitatem personæ non reddatur simpliciter, & absolutè infinitum.

De Actibus Humanis.

I.

Falsum, & erroneum est, quod referente S. Epiphanio hæresi 23. *Saturtinus Menandri Hæresiarchæ discipulus circa annum Christi 120. docuit, videlicet: duo genera hominum ab Angelis condita fuisse, alios naturâ bonos, & alios naturâ malos. Sanè falsitas infani hujus heterodoxæ detegitur, dum Eccles. 15. v. 14. perhibetur: quòd DEUS ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui, cum vel sic homo ab ipsomet DEO fuisse conditus, & arbitriò liberò præditus clarissime innuatur. Porro*

II.

Essentia, & formalitas liberi arbitrii consistit in indifferentia activa voluntatis, seu in potentia ad agendum, vel non agendum: consequenter ad liberum arbitrium non sufficit sola libertas à coactione, prout cum *Bucero* contendunt *Bajus*, & *Jansenius*, sed simul requiritur libertas ob omni simpliciter necessitate intrinseca, & antecedente; namque *Arbitraria*, & nobis libera sunt, quæ in utramque partem æquè contingere possunt; velut moveri, & non moveri, appetere, & non appetere: S. Damascenus lib. 2. Orthod. fid. c. 26. Quinimo dicta libertas absolute necessaria est ad actum humanum tam meritorium, quàm demeritorium, prout liquido constat ex damnata propositione tertia Jansenii: *Ad merendum, & demerendum in statu nature lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

III.

In actu humano bonitas finis non tollit simpliciter malitiam medii; malitia tamen medii bonitatem finis totaliter inficit, & vicissim: nequit itaque idem actus indistinctus simul esse bonus, & malus in genere moris: hinc est illud à Theologis receptum D. Dyonisii dicterium: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Attamen dari potest actus humanus quoad exercitium seu in individuo indifferens, ita, ut in genere moris nec bonus sit, nec malus: *Bonum enim est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare.* S. Hieronymus Epist. 89.

VI.

Actus humanus externus addit interno, & efficaci actui voluntatis distinctam bonitatem, vel malitiam moralem; facit ergo cum hoc majorem bonitatem, vel malitiam etiam extensive: quippe juxta S. Augustinum lib. 33. de Trinit. c. 5. *Mala voluntate vel sola miser quis efficitur, sed inferior potestate, qua desiderium male voluntatis impletur.*

V.

Conscientiæ cura in homine eam habet fundamenti rationem, ut actus omnes, ne alioquin evadant vitiosi, necessariò oporteat ab ea regulari; *Omne enim, quod non est ex fide* (intellige ex conscientia bona) *peccatum est:* Rom. 14. v. 23. In errantis conscientiæ casu fidem bonam tamdiu censemus remove peccati culpam, quamdiu error non est vincibilis diligentia ordinariâ, tunc enim adhuc conscientia talis, quod operatur, ex prudenti, & firma existimatione esse honestum judicat, & inhonestum, uti à parte rei est, esse, ignorat: ergo *practicè* eo ipso manet vera & recta; per consequens ad sui sequelam tanquam regula actus moralis proxima obligans, cum aliâ viâ voluntati nequeat innotescere, quid sit bonum, quid malum.

VI.

Conscientiam ipsam virtutis aberrare medium existimamus, quoties sententiam libertati faventem opposita minùs probabilem amplectitur: præcipit enim Apostolus 1. Tessal. 5. v. 20. & 21. *Omnia probate, quod bonum est, tenete: ab omni specie mala abstinete vos, vel ut Alii legunt: ab omni specie mali abstinete vos, id est, ut habet noster Lyranus in hunc locum: Non solum à malo abstinendum est, sed etiam ab omni eo, quod habet apparentiam mali.* Quid autem, quæso, magis habet apparentiam mali, ac sententia simpliciter probabilis pro casu, quo opposita ob rationes fortiores creditur probabilior, & verosimilior? Deinde Eccl. 3. v. 21. dicitur: *Qui amat periculum, peribit in illo:* quis autem se magis exponit periculo peccati, quam, qui sequitur opinionem, quam credit verosimiliùs falsam, adeoque verosimiliùs peccaminosam; cum actio sit peccaminosa, quia creditur falsa? Certè, si ambulans tempore tenebrarum in loco, ubi probabiliùs credit esse foveam, convincatur velle periculum lapsus, quidni convinceretur velle periculum peccati, qui sequitur id, quod probabilius credit esse peccaminosum? Demus ampliùs casum: quòd *Probabilista* in sententia minus probabili libertati favente sit deceptus, quòd à parte rei falsa, & illicita fuerit ejus opinio, poteritne se coram DEO excusare: ignorantiam ejus fuisse invincibilem, an non potius tamquam temerarius, & præsumptuosus condemnabitur ob ignorantiam voluntariam, & affectatam? Nec prætereundum hòc locò est, quod Benedictus XIV. gloriosæ memoriæ, & eximiæ sapientiæ Pontifex in Epist. Encycl. 1. Novemb. A. C. 1745. edita scripsit occasione controversiæ: *An quidam contractus (ad usuras res pertinet) validus judicari debeat?* In hac exponens Pontifex, quid in hujusmodi quæstionibus resolvendis executioni, priusquam resolvantur, demandari velit, hæc habet: *Suis, inquit, privatis opinionibus ne nimis adhareant, sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter ceteros prædicentur, deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate planè confirmatas intelligent.* An planè confirmatam sententiam sequitur ille, qui amplectitur verosimilem eà dimissâ, quam judicat verosimiliorrem? An plures Scriptores examinat &c. *Probabilista*, qui adhæret paucioribus? Præterea incassum provocant *Probabilistæ* ad verba Christi Matth. 11. Quibus jugum suum suave esse enunciat. Est quidem suave Christi jugum, quia *Quidquid durum est in præceptis, ut sit lene, charitas facit, ut docet S. August. serm. 96.* sed non ideo jugum Christi leve est sensu *Probabilistarum*, qui mendacem faciunt Christum prædicantem Matth. 7. v. 14. angustam esse portam, & arctam viam, quæ ducit ad vitam.

VII.

Hæ juris regulæ: *Dubia in meliorem partem interpretanda sunt. Cum sint partium jura obscura: reo favendum est potiùs, quàm actori. In obscuris minimum est sequendum, In dubio melior est conditio possidentis, &c.* non

non respiciunt obligationem hominis erga seipsum, præsertim, dum salutis negotium vertitur, agitúrque de bono animæ, sed respiciunt iudicium fori externi, illúmque regulant in ordine ad alios, inter quos ferre sententiam debet, nec applicari possunt ad *internum* hominis iudicium, nisi in ordine ad alios, dum vel illorum probitas, & honor in dubium vocatur, vel dum ipse instar iudicis fert sententiam inter seipsum, & alium contra se agentem ad iacturam. Excipe: nisi prædictæ regulæ concurrant cum hac: *In dubio standum est pro reo, pro quo stat præsumptio.*

De Legibus.

I.

Altera humanorum actuum *extrinseca* regula est *lex ingenita, vel præscripta* Propter bonum commune ab habente publicam auctoritatem ad regimen communitatis ordinata, sufficienter promulgata obligans ad sui sequelam in prosecutione boni, & fuga mali. Hujus existentiam, & necessitatem demonstrat vel ipsa naturæ intellectuæ defectibilitas; cum enim ipsa plerúmque à fine honestatis, in quem per actus suos collimare debet, deflectat, & exorbitet, opus habet aliqua regula, qua veluti manu ducatur ad eum finem assequendum.

II.

Legem Veterem (cujus Author DEUS: *Mementote legis Moysis servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel præcepta, & iudicia* Malach. 4. v. 4.) Angelorum ministeriò Moysi ejusdem Præconi, & Promulgatori traditam eruimus ex Act. 7. v. 32. *Hic (Moyses) fuit in Ecclesia, in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum Patribus nostris, ubi accepit verba vitæ dare vobis.* Eodem c. v. 53. *Judæis ait Stephanus: Accepistis legem in dispositione Angelorum.* Ex hoc verò, quòd *lex vetus* DEUM veneretur Authorem, consequitur: eam in se bonam fuisse, quamvis *respectivè* ad legem *Evangelicam* fuerit imperfecta propter pauciores gratias, quæ sub lege positis *Judæis* concedebantur, quàm quæ dantur *Christianis*. Igitur

III.

Veteri legi Dominus reverà substituit Novam non solum directivam, sed etiam præceptivam contra Lutherum, & Calvinum: Si præcepta mea servaveritis (ait Christus Joan. c. 15. v. 10.) *manebitis in dilectione mea: unde Tridentinum Sess. 6. c. 19. Lutheri, & Calvini errorem proscribens sic statuit: Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.* Ex hoc

IV.

Inferimus Christum verum esse *Legislatorem*, cui character hujusmodi attribuitur Jerem. 31. v. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum.* Et Isai. c. 33. v. 22. *Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster; ut ità à Tridentino Sess. 6. can. 21. Si quis dixerit Christum JESUM à DEO hominibus datum fuisse, ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant, anathema sit.* Calvinus, si oculos reflexisset ad præmemorata Scripturæ testimonia, haud in verba ista: *Misit DEUS Filium suum, & futiisset sequentia: O perniciosum errorem prædicantium, Christum tanquam novum Legislatorem! quasi veterem Judæorum legem abrogaverit, ut novam Christianis hominibus legem imponeret!*

V.

Fideles per legem *Evangelicam* non eximuntur ab obligatione parenti legibus humanis: quare humanus Legislator (etiam Civilis) potest condere leges in conscientia, seu sub culpæ reatu obligantes: deducitur id ex Epist. ad Rom. c. 13. v. 5. *Necessitate subditi estote, non solum propter iram (puta vindictam Principis) sed etiam propter conscientiam.* Per quod impugnantur *Lutherani*, & *Calvinistæ*, leges conscientiam ligantes velut conscientiæ carnificinam infectantes.

VI.

Novæ legis (quæ libera ordinatio est Divinæ Sapientiæ per *Verbum Caro factum* mundo allata, præcipiens ea, quæ ad statum gratiæ in præfenti, & gloriæ in futura vita spectant) obligatio generalis respectu omnium tunc primò cœpit, cum facta fuisset sufficiens, & solemnis ejusdem promulgatio *Jerosolymis* in die *Pentecostes*; nam *Valde injustè*, ait S. Bernardus Epist. 77. ad Hug. *exigitur obeditio, ubi non præcesserit auditio.* Non igitur statim à morte Christi *Legalia* fuerunt *mortifera*, sed ad evitandum scandalum, ac ut *Synagoga* sepeliretur cum honore, licitum fuit aliquamdiu *Veteres Cæremonias* servare. Patet ex factis Apostolorum: *Paulus* enim Act. 16. circumcidit *Timotheum* c. 18. se totondit in *Cenchris* c. 21. more *Judæorum* se purificavit: *Petrus* etiam in visione, quam habuit circa annum *Æræ* Vulg. 39. inquit Act. 10. v. 14. *Nunquam manducavi omne commune, & immundum:* quibus verbis significat, se hactenus à cibus immundis *Judæorum* more abstinuisse.

VII.

Lutheranos Antesignani sui vestigia prementes, ac *Calvinistas* omnia *Consilia* à lege *Evangelica*, seu bona opera non præcepta removentes variè oppugnant Scripturæ textus: 1. Corinth. 7. v. 1. *Bonum est homini mulierem non tangere;* v. 8. *dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis, si sic perma-*

permaneat, sicut & ego: v. 26. quoniam bonum est homini sic esse: v. 25. de Virginibus autem præceptum non habeo, consilium autem do. Et si in omni debite gubernata republica designentur præmia ambulanti- bus secundum mandata, & pœnæ prævaricanti- bus, ac specialia munera heroicè se geren- tibus, seu plùs operanti- bus, quàm ex præceptis incumbit illis, cur stupe- ret aliquis in Divina, & Evangelica republica particula- res prærogativas do- nari supererogatoriè, ac sine lege urgente decertanti- bus?

VIII.

Legislator dispensare potest non solùm in suis, sed & in Prædecessorum legibus ordinariè loquendo; ad licitam tamen dispensationem motivum sub- esse debet. Plausibiliter propugnatur: Peregrinos teneri ad earum legum observantiam, quæ vigent in iis locis, in quibus solùm ad tempus degunt; uti & subditos ad eas sui Territorii leges observandas, quæ bonum ejus com- mune respiciunt, non obstante eorum extra proprium Domicilium absentia. Licitus est Episkejæ usus, quoties rationabiliter judicatur legem non com- prehendere specialem aliquem casum: item quando ignoramus, an Legisla- toris mens fuerit casum comprehendere ob dubia ejus verba: item quando lex jugum insupportabile nimis imponit, qua in circumstantia Machabæi lib. 1. c. 2. v. 41. observantes plurimos trucidari, qui nefas censuerunt die Sabbati pugnare, usi sunt epikejâ dicentes: Omnis homo, quicumque vene- rit ad nos in bello die Sabbatorum, pugnemus adversus eum: & non moria- mur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri in occultis.

IX.

DEUS potest dispensare in quibusdam ad legem nature spectantibus, quæ sunt inter Præcepta Decalogi *Secundæ Tabulæ*, si quintum excipiatur: ut enim veri nominis habeatur dispensatio, sufficit, ut actio, alioquin illi- cita, reddatur licita v. g. ut occisio, aliàs vetita, fiat inculpabilis, DEUS verò hoc præstare potest sua autoritate, & præstitit in casu *Isaaci* occi- dendum injustè, nisi advenisset circumstantia DEI jubentis, ac jussione sua dispensantis. Insuper Exod. 2. dispensavit DEUS cum *Judæis*, ut *Ægy- ptiarum* bona auferrent, adéoque in furto: Deuter. 23. v. 20. dispensavit DEUS cum *Hebræis*, ut usuram exercerent erga Alienigenas. Ex hac au- tem dispensatione.

X.

Non est similitudo instituenda in ordine ad Duo Prima Præcepta *Tabulæ Primæ negativè* sumpta, prout prohibent irreverentiam DEO irro- gandam per cultum *simulacrorum*, aut per invocationem Nominis DEI *struaneam*, cum illa, quæ *Primæ* inimica sunt *Tabulæ*, ex natura sua *in- trinsecè* sint mala, nec ideo talia, quia *prohibita*, sed eatenus interdicta, quatenus ex se mala.

De Peccatis.

I.

Blasphe mē prorsus *Lutherus*, & *Calvinus* DEUM primariam, & effectivam peccati causam esse dicitant: *Lutherus* in suis Assertionibus *Wittenbergæ* 1500. impressis Assert. 36. dicens: *Mala opera in impiis DEUS operatur*: & *Calvinus* lib. I. Instit. §. 4. inquires: *Homo justo DEI impulsus agit, quod sibi non licet*, cum econtra *Vates Regius* Psal. 5. v. 4. de DEO expressè asserat: *Quoniam non DEUS volens iniquitatem tu es*: ergo contra præfatos Dogma Catholicum sequentibus comprehensum defendimus: sola voluntas creata in suis operationibus liberis à recta ratione, & regula morum deficiens, causa efficiens peccati est, DEUS verò, *Cui odium sunt impius, & impietas ejus*, Sap. 14. v. 9. Causa peccati non est, nec ullatenus esse potest.

II.

In vetitum omnino nitimur, & ipsa prohibitio desiderium acuit: at perinde malè reputant hodierni Sectarii: sentire jam idem esse, ac consentire; ità siquidem tentari, virtuti potius præire dignoscitur in ordine ad meritum consequendam ex illo Eccles. 34. v. 9. *Qui non est tentatus, quid scit? Quare nisi voluntas eligibiliter, ac delectabiliter contra legem eliciat actum, nunquam contra legem peccasse dici potest; quia Peccatum non cognovi* (ait Apostolus Rom. c. 7. v. 7.) *nisi per legem*: motus ergo concupiscentiæ omnem advertentiam rationis antevertentes adeò inter peccata non sunt numerandi, sive in *renatis*, sive in *non renatis*, ut Articuli 2. & 3. *Lutheri* meritò à Leone X. fuerint proscripti, ac damnata propositio *Bay Ord. 5. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præceptò*: Non concupisces.

III.

Divisionem illam, qua peccatum personale in aliud ex genere, seu natura sua mortale, & in aliud ex genere, seu ex natura sua veniale subleatur, *Wiccleffus*, *Lutherus*, & *Calvinus* ceu inventum *Sophisticum* fugillare non verentur: nos econtra divisionem hanc tanquam veritatem in Scripturis, Patribus, & Conciliis fundatam propugnamus: etenim ipsamet Veritas veritati huic testimonium perhibet, dum *Lucæ* 6. v. 41. ait: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* hinc rectè iterum à *Pio V.* & *Gregorio XIII.* confixa est alia *Bay propositio Ord. 20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur mortem æternam. Intrinsicè tamen, & simpliciter infinitum in ratione offensæ nullum mortale est; quia aliàs, cum unum alterò sit majus Joann. 19. v. 11. Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet, unum infinitum excederetur ab altero, quod implicat.*

IV.

IV.

Dari peccatum *habituale*, quo scilicet post peccatum *peractum* homo permanentiter constituitur peccator, fides docet; sic enim constat ex illo Lucae 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, & ex illo Joan. 20. v. 23. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hoc peccatum pro *formali* consistere in sola imputatione *Protestantium* est dogma: At nostrum sentimen hoc est: quòd transactò peccati actu *macula* quædam remaneat in anima, quæ peccatum *habituale* dicitur; hinc est illud Jerem. c. 2. 22. *Maculata es in iniquitate tua coram me.* Macula isthæc *duplicem* importat *reatum* in anima, *culpæ* unum, *pænæ* alterum, igitur licet *habituale* peccatum in hac vita remissum sit quoad *culpam*, si tamen pro eodem satisfactum simul non sit quoad *pœnam*, adhuc peccatori aliquid in vita altera superest expiandum.

De Virtutibus Theologicis Fide, Spe, & Charitate.

I.

A Fide exordium sumit Christianæ Religionis institutio; quia sine fide DEUM invenire, invocare, DEO servire, aut eidem placere nemo potest in via: *Credere enim oportet accedentem ad DEUM*, inquit Apostolus Hebr. II. v. 6. qui verò non crediderit, quòd condemnabitur, imo jam iudicatus sit, Christi est sententia. Quemadmodum autem necessaria est, ita nec minùs ab omnibus haberi potest; quia facienti, quod in se est, DEUS minimè deest.

II.

Cùm hominum arbitria ea sint, ut, quod nunc affectant, jam reprobent, quod reprobant, mox affectent, incredibile est (quidquid oggant hac in re *Indifferentistæ* hodierni) DEUM tam mutabili hominis dispositioni grande Religionis suæ negotium ita commisisse, ut genus humanum in suo cultu tot turbis exponere voluisset; aliàs enim perinde videretur DEO servire modò, quem nostra sibi depingit imaginatio, ac illò, quem vult ipse, quod tamen refellit Apostolus I. Corinth. c. 10. v. 5. *Non in pluribus eorum*, quæ nempe excogitavit humana industria, *beneficium est DEO.* Quinimo si Veritas Prima neutiquam contradictoria simul approbare potest, quomòdò amabo! perinde est, an in hac, vel illa Religione colatur? cum vel in ipsis principiis una alteri contradicat, & opponatur. Errant proinde, & toto cælo aberrant, qui pro rerum, & statùs sui utilitate hodie *Mahometem*, cras *Calvinismum*, post-cras *Christianismum* profitentur: Unus siquidem DEUS est: ergo & una fides, unaque tantùm Religio vera nostri boni causâ revelata dari potest.

III.

Ad hanc *Adiaphoristas* in tantum propiùs quidem accedere fatemur, in quantum præter naturalem saltem fidem aliquam in Christum ad salutem

Iudem requirunt : At numquid etiam *Galatæ* in eum credebant? cur ergo *Paulus* improperat eis, *Christum* ipsis nihil profuturum; nisi quia simul *Circumcisionem*, quasi ad salutem necessaria foret, retinere volebant? nec ergo his proderit quidquam, si identidem ea tantum, quæ sibi placita retinentes aliis revelatis discredant; nam, *Qui non colligit mecum, verba sunt Christi* Lucæ 11. v. 23. dispergit. Et Matth. 12. v. 30. *Qui non est mecum, contra me est.* Nihil proinde suffragatur Hæreticis adinventæ articulorum distinctio in *fundamentales*, & *non fundamentales*: etenim etiam in re momenti minimi DEUM negare Veracem, crimen est gravissimum. Quamquam autem in Religione Romano-Catholica credantur plurima, quoad *substantiam* tamen ea non crevit; quia Ecclesia articulum declarans antea dubium, vel latentem, tam parum facit novum, quam parum *Salamon* de Matre infantis, 3. Reg. c. 3. v. 27. declarans: *Hæc est Mater ejus*, fecit, ut illa mulier fieret vera Mater infantis.

IV.

Ad sufficientem objecti fidei propositionem necessarium est, ut illud quod proponitur, fiat *certò*, & *evidenter* credibile, evidentia scilicet *moralis*, excludente omnem prudentem formidinem de opposito. Illud proinde judicium de mysteriorum credibilitate, quod *probabilibus* solum *fundamenti* nititur, ad assensum fidei, quem firmissimum esse oportet, nequaquam sufficiens arbitramur. Hæc autem, quàm modò diximus, credibilitatis evidentia, tam perfecte in fidei nostræ mysteriis reperitur, ut hæc sola tamquam *Divina*, & *unicè salvifica* evidentè sit credibilis.

V.

Porro motiva, ex quibus hæc evidentia nascitur, ad tria potissimum capita revocantur, nempe: doctrinæ puritatem, sanctitatem, & efficaciam: deinde testium authoritatem, & multitudinem: denique varios modos, quibus DEUS peculiariter subscripsit, & authoritatem præbuit testimoniis hominum hanc fidem prædicantium; quo in ordine primum locum tenent miracula, quæ nonnisi à DEO, *Qui facit mirabilia magna solus*. Psal. 135. v. 4. proficisci possunt. Imo vel hanc ipsam Religionem Romano-Catholicam DEUS aliquando miraculis suam esse confirmavit, vel non? si secundum: ergo *hoc ipsum est miraculum maximum* (verba sunt S. Chrysostomi) *absque miraculis orbem terrarum accurrere, à duodecim partibus, & illiteratis hominibus attractum*; Si primum: ergo eo ipso vera est; nam falsi testem agere DEI naturæ repugnat. Unde Richardus à S. Victore lib. 1. de Trinit. c. 2. cum omni fiducia ad DEUM exclamat. *Domine! si error est, à te decepti sumus: ista enim nobis sunt tot signis, & prodigiis confirmata, & talibus, quæ non nisi per te fieri potuerunt.*

VI.

Fides Divina describitur ab Apostolo Heb. II. v. I. quod sit *sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*, id est: *Basis*, ac *Fundamentum spei nostræ*, ac *Convictio*, qua certi reddimur ex DEI revelatione de rebus, alioquin minimè conspicuis. Unde fidei nostræ articuli ex *hypothesi* Divinæ revelationis contra *Priscillianistas*, DEUM in Scripturis sæpè mentitum blasphemantes, tantæ sunt certitudinis, ut impossibile sit, eisdem fuisse falsum; nam *Interposuit iusjurandum* (attestatur Apostolus Hebr. 6. v. 17. & 18.) *ut per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri DEUM, fortissimum solatium habeamus*. Ex quo autem Divinæ fidei assensus tam eminentis est certitudinis, atque infallibilitatis, ut omnem omnino formidinem, & suspicionem falsi excludat, consequitur.

VII.

Formale ejusdem objectum esse DEUM sub ratione Primæ Veritatis in *dicendo*, & *cognoscendo* simul: enimverò Augustinus Lib. I. de Symb. c. I. ut evinceret, loquenti DEO firmissimè esse assentiendum, ait: quia *Falli non potest, mentiri non potest*. En utramque veracitatem pro fidei motivo assignatam! & meritò, alterutrâ enim per impossibile ablatâ credendi motivum non haberetur firmissimum, posset quippe eo casu DEUS *falli*, vel *fallere*, errare ipse in *cognoscendo*, vel mentiri in *loquendo*, cognoscere objectum aliter, ac est in se, vel loqui de illo aliter, ac est in mente, quò jam infirmaretur assensus, qui dictis ejus præbetur.

VIII.

Hæc eadem Divina Veritas *falli*, vel *fallere* nescia est ratio assentiendî, & ultimum resolutorium *Formulare* fidei, in quo *Analysis* fidei ultimâtè quiescit quoad assensum: quoad propositionem verò credendorum est *authoritas Ecclesiæ* à Spiritu Sancto gubernatæ. *Evangelio non crederem* (appositè hic loquitur S. Augustinus contra Epist. fundam. c. 5.) *nisi me Ecclesiæ commoveret autoritas*; DEI enim *Ministra Ecclesia*, & fidelium *Magistra* legatione sibi à DEO commissa fungitur, dum nobis ea, quæ credimus, proponit, & revelata esse, manifestata *credibilitate* ostendit.

IX.

Non sunt tolerandi *Priscillianistæ*, ac *Machiavellus* autumantes: licetam esse *simulationem hæresis*, & *idololatriæ externæ*, quoties vera fides internè conservatur; unde prodiit: *jura, perjura, secretum pandere noli*: hinc factum *Noamani Syri* Regem in templo *Remmon* sustentantis 4. Reg. 5. v. 18. non fuit *idololatricum*, sed spiravit tantum subjectionem, ac *curvationem politicam Regi*, ipsiusque declaratio scandalum omne removit v. 15. Vere scio, quòd non sit alius DEUS in universa terra, nisi tantum in Israel.

Et v. 17. *Non enim faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimam Dei Alienis, nisi Domino.* Quæ omnia ab *Elisæo* v. 19. dicente: *Vade in pace,* roborantur, qui indubiè non permetteret actum idololatricum exerceri impunè, multò minùs per illam expressionem: *Vade, coronari.* *Externa* ergo fidei confessio ità præcepta est, ut in nullo casu eam externè negare liceat, etsi animò clausam retinere velis; quippe ipsa Veritas Æterna ait *Matth. 10. v. 33. Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego cum coram Patre meo, qui in cælis est.*

X.

Virtus altera *Theologica*, quæ fidem subsequitur, spes est, qua liberali DEI promissione fiducialiter, & efficaciter desideramus Bonum Infinitum, per auxilia DEI, & merita nostra abtinendum. Unde spei objectum quoddam materiale principale, & attributionis est DEUS, ceu beatitudo objectiva; beatitudo autem formalis est objectum ejus materiale minùs principale quod, utpote ratio formalis possidendi beatitudinem objectivam: objectum tandem formale motivum est bonitas DEI relativè ad sperantem. Quod si itaque decretoria cuipiam fieret Revelatio Divina de propria damnatione, ille non teneretur, nec posset sperare beatitudinem; quia non haberet prudentis futuritionis judicium.

XI.

Charitas denique dignitate prima, ordine ultima, consistens in habitu infuso, non verò in ipsa intrinseca entitate Spiritus Sancti, habet veram, & non tantum metaphoricam rationem amicitiae erga DEUM, quem pro formali suo objecto respicit, non præcisè, quæ Author bonorum supernaturalium est, sed quæ in seipso absolutè bonus in omni genere entis audit; si enim charitas inter virtutes est præstantissima ex Apostolo 1. Cor. 13. præstantissimum sibi vedicet objectum, est necesse.

XII.

Lutherus in carni favorabilibus laxus, & plùs æquò indulgens, in præcepto charitatis existit rigorosus, dum in Suis tuetur: hominem in vita, quantumvis gratiâ Divinâ suffultum, ac conantem, præceptum tamen dilectionis DEI, & proximi non posse adimplere. Verùm *Catholici* jurant in verba sui Magistri profitentes unanimiter dogma: quòd & negativè, & positivè hoc præceptum possit adimpleri; nam *DEUS* impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis: *Trid. Sess. 6. de justif. c. 11.* Cæterùm gravissimæ de diligendo DEO obligationi satisfacimus, si eum super omnia tam objectivè, quam appreciativè diligimus, summa autem amoris intensio etiam respectiva à nobis non postulatur.

XIII.

In *Dæmonibus*, & *Damnatis* hominibus nullus relinquitur ex habitibus *Virtutum Theologicarum*: non habitus *fidei*; cum enim *Damnati* finem assequi nequeant *fidei* infusæ, qui est *salus æterna* juxta illud 1. Pet. v. 9. *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum*, consequens est, eis nec medium præcisè ad illum finem ordinatum concedi. Et aliunde teste *Dionysio Arcop.* de *Div. Nom.* c. 4. *In dæmonibus nulla relicta sunt dona supernaturalia.* Non habitus *Spei*, contra quam sensit *Origenes*, ait enim *Scriptura Proverb. 11. v. 7. Mortuo homine impio non erit ultra spes.* Deinde apud *Inferos* nullum est gaudium, sed summus dolor, & summa tristitia: non ergo ibi quærenda *spes* excitativa gaudii, *spe gaudentes* Rom. 12. v. 12. Et ad quid iis serviret *spes*, quibus jam æternum reprobatis sperandum restat nihil, nec sunt amplius in statu sperandæ salutis? Non denique habitus *charitatis*, quem adhuc in via per peccatum amisere.

XIV.

Longe autem melioris conditionis sunt animæ in *Piaculari Carcere* ad solvenda pœnarum debita reclusæ. Retinent illæ *charitatem*, per quam cum *DEO* conjunctæ sunt, eumque diligunt: retinent *spem*, ac *desiderium* vitæ æternæ, quam necdum consecutæ sunt, estque hæc respectu illarum objectum bonum, absens, possibile, & arduum, utpote acerbissimorum cruciatuum tolerantiam adipiscendum: retinent & *fidem*, quæ *spei*, & *charitatis* est fundamentum. Præterea *Purgantes* animæ adhuc peregrinantur à *Domino*, in quantum felicissimum illum beatitudinis terminum necdum attigerunt, in quo *fides* obscura per *claram*, & intuitivam *DEI* visionem evacuat, & ideò, licet non sint amplius in via in ordine ad meritum, sunt tamen in ordine ad supernæ retributionis bravium.

XV.

Beatos spoliare habitu *charitatis* vetant verba *Apostoli* 1. Cor. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit*: ast *Fidem*, & *Spem* in *Civibus Supernis* evacuari, easque in melius commutari, indicat idem *Gentium Doctor* 1. Corinth. 13. v. 9. & 10. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* q. d. cum in beatitudine id fuerimus consecuti, quod perfectum est, nempe perfectam, & *claram DEI* cognitionem, quam mediante *lumine gloria* intuitivam eliciemus, quæ *fidei* succedet, & perfectam *sentionem DEI* (sic eam *Scotus* appellat) ac gaudium de beatitudine, & de *DEO* ipso per eam acquisito, quæ *Spem* vitæ consequetur, tunc evacuabitur, quod ex parte est, id est: quod imperfectionem sibi annexam ex una parte habet, quali imperfectionis macula consperguntur *Spes*, & *Fides*, cum hæc sit obscura, illa verò objecti supponat absentiam.

I.

HÆretici quidam *Apostolici* dicti IV. Ecclesiæ sæculò docuere: illicitum esse homini Christiano quidpiam proprium possidere; inde *Apostolicos* sese nuncupabant, quòd *Apostolos*, imitari se falsò jactabant, nec pecuniam, nec aliud quidquam proprium habuisse, imò nec habere illis licuisse, assererent: contra hos defendimus etiam *Christianis*, & Legem *Evangelicam* profitentibus licitum esse *dominium*, & *possessionem* bonorum temporalium: neque contrarium ex factò Christi, & Apostolorum evincitur; neminem quippe latet, Christum ipsum, saltem in communi cum Apostolis loculos, & pecuniam habuisse, qua ad suum, & Apostolorum victum necessaria emebantur, ut legere est Joan. 4. v. 8. & c. 13. v. 29. Pariter

II.

Contra Ecclesiasticorum, Ecclesiæque dominium declamant ad hæc usque tempora Hæretici. *Pauperes à Lugduno*, qui etiam *Waldenses à Waldone* quodam *Lugdunensi* Cive sunt appellati circa A. C. 1160. alios inter errores sparserunt: Sacerdotes pauperes esse debere, solaque elemosynâ contentos; Romanam proinde Ecclesiam sub *Sylvestri* Pontificatu defecisse, cum venenum temporalium possessionum, ut illi quidem ajebant, in Ecclesiam est infusum. *Wiclessi* impudentissimi Hæresiarchæ audacia A. C. 1375. eò se porrexit, ut evomere non erubuerit: *Imperatores, & Dominos seculares seductos esse à diabolo, ut Ecclesiam ditarent bonis temporalibus.* Ac *Augustinum, Benedictum, Bernardum damnatos esse, nisi pœnituerint de hoc, quòd habuerint possessiones.* Verum Dogma Catholicum est: absolutè licitum esse Ecclesiæ, Virisque Ecclesiasticis temporalium rerum *possessionem*; si enim Sacerdotibus Veteris Legis licuit habere *possessiones*, & agros Divino jussu sibi attributos, uti legitur Num. 35. v. 2. & 3. *de Levitis*, è quorum tribu Sacerdotes assumebantur: *Præcipe filiis Israel, ut dent Levitis de possessionibus suis, urbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum.* Et Josue 21. v. 3. *Dederunt filii Israel de possessionibus suis juxta imperium Domini civitates, & suburbana earum: Decimas quoque omnium terræ fructuum, pecudumque accipiebant Levitæ: si, inquam, id facere fas fuit Levitis, eccur Nova Legis Sacerdotibus id non liceret, quandoquidem id à Christo nusquam legitur interdictum, imò suò, & Apostolorum exemplò vel comprobatum, vel certè permissum?*

III.

Clerici *Beneficiati* sunt Domini etiam eorum fructuum ex *Beneficiis* perceptorum, qui congruæ sustentationi supersunt; ideòque ex *justitia* non tenentur eos impendere in pauperes, aut causas pias: siquidem Trid. Sess. 23. c. 1. contra non residentes in *Beneficiis* statuit, *Eos pro ra-*

in absentia fructus suos non facere, nec tutam conscientiam . . . illos sibi detineri posse, sed teneri . . . illos fabrica Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare. Item Sess. 24. c. 12. præcipit: ut omnes provisi de Beneficiis curam animarum adnexam habentibus intra duos menses coram Episcopo, vel Vicario Orthodoxæ Fidei publicam faciant professionem, & si id facere intra duos menses ab obtento Beneficio omiserint, fructus non faciant suos: ergo à contrario, si Clerici resideant, & professionem emittant, fructus Beneficiorum faciunt suos, seu quod idem est, acquirunt eorum dominium, & quidem tam congruæ sustentationi necessariorum, quàm superfluum, cum altè fatum Concilium de omnibus indifferenter loquatur, nec conveniens sit, ut nos aliquam restrictionem faciamus, cum negotium circa materiam Beneficiatis, præscriptas condiciones adimplentibus, favorabilem versetur.

IV.

Ordinibus Religiosis in communi, sive cumulativè competere dominium propriè tale in bona corporalia tam mobilia, quàm immobilia demptis Communitatibus Fratrum Minorum de Observantia, & Capucinatorum, exinde comprobamus, quòd Ecclesia nusquam reddat inhabiles Religiosos ad dominium in communi habendum; quinimo Trid. Sess. 25. c. 3. Concedit omnibus Monasteriis, & Domibus tam virorum, quàm mulierum, & Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum S. Francisci, Capucinatorum, & eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex Privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Quid autem aliud est possidere bona, quàm eorundem tenere dominium? Nicolaus item III. in Extravag. Exiit ait: dominium rerum, quibus Fratres Minores utuntur, pertinere ad Pontificem, non autem ad eorum Communitatem: ergo cum exceptio firmet regulam pro casibus non exceptis, dicendum: dominium rerum in aliis Religionibus esse penes Communitatem.

V.

Simplex usus facti in rebus unico usu consumptibilibus est à dominio separabilis; nullum enim ab eo dominium acquiritur, qui renuit illud acceptare, tales autem sunt omnes Veri Fratres Minores, qui assentientibus Summis Ecclesiæ Pastoribus Nicolao III. Clemente V. Alexandro IV. Martino V. Paulo IV. ac Sixto IV. declararunt, se nolle dominium quodcumque acceptare, illudque in res unico actu consumptibiles penes, dantes, vel penes Sanctam Sedem permanere protestantes, ità, ut Benefactores quancumque elemosynæ speciem elargientes, jus eandem revocandi habeant. Quod si casus statuatur, in quo summa Sedes declararet se nolle acceptare dominium elemosynæ Franciscanis obvenientis, cui & Benefactor resignaret, nostrâ subsistente sententia, talis nullius esset Domini, sed primò capientis, adèoque posset surripi Minoribus sine injuria: quamquam

autem dominium nullum esset penes Apostolicam Sedem, vel Benefactorem, aut Fratrem Minorem, non tamen ideo talis elemosyna inter res primitivae computanda quoad usum; quia usus ejusdem est pro Franciscanis consecratus, ut supponendum est.

VI.

Nec autoritas Joannis XXII. Michaeli Cefenae, & Ochamo minus affecti obest resolutioni nostrae, quae est de materia partim naturali, partim civili, non fidei, in qua, etiamsi sit infallibilis, non tamen in illa materia mixta: si quos idcirco ut Haereticos punivit, qui Constitutionibus ejus adversabantur, non equidem sic in eos animadvertit, quod haereticos eos spirare censuerit ob assertam separabilitatem dominii ab usu in rebus actu unico consumptibilibus, sed ob negatam Christo, & Apostolis omnem proprii rationem tam in communi, quam in particulari, quod certe pronuciare, erat erroneum, quamvis, ut testatur Nicolaus III. tam Christus, quam Apostoli pro aliquo tempore vixerint sine omni proprii specie, non tamen semper; unde nulla hos inter duos Pontifices contradictio.

VII.

Uxoribus attribuendum est dominium, & administratio bonorum Paraphernalium ex l. 9. ff. de jur. dot. nisi exceptio exprimat in contractu Matrimoniali. Filii-Familias bonorum Castrensiurn, & quasi Castrensiurn dominium, & administrationem habent ex l. 1. cod. & ff. de pecul. castrensi. Adventitiorum dominium, non administrationem ex l. cum oportet. Cod. de bonis, quae liberis: Profectitiorum verò nec dominium, nec administrationem ex §. 1. Inst. per quas personas nobis acquiratur.

VIII.

Testamentum ad pias causas valet per foro conscientiae sine solemnitatibus à jure Civili requisitis: ad causas profanas vero, si sit juris formalitibus destitutum, ne quidem in foro poli tribuit jus haeredi instituto, sed æquè habendum est pro irrito, & invalido, ac si nullum esset conditum testamentum. Conditiones ad legitimam Praescriptionem requisitae quatuor sunt, quas sequentibus versibus comprehendit Haunoldus:

Non usucapies, quatuor nisi talia subsint:
Æqua fides, justus titulus, res non vitiosa,
Tempore praescripto, possessio continuetur.

Hæc si adsunt, praescriptio legitima est, non solum pro Civili, sed & conscientiae foro, tribuens praescriptarum rerum dominium, ita, ut quis non solum in judicio tueri se possit per exceptionem praescriptionis, sed etiam in foro interno maneat Dominus rei praescriptae: id quod ex pluribus legibus

legibus sic manifestum, ut l. 3. de *Usucap.* ubi dicitur: *usucapio est adjectio* (seu acquisitio) *dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti.* Item l. 4. *Cod. de præscript.* dicitur: *præscribens saluberrimæ legis plenissima munitione securus.*

IX.

Restitutio in re, aut in voto absolute necessaria est ad salutem, Si impius fecerit iudicium, & justitiam, & pignus restituerit, rapinamque reddiderit . . . nec fecerit quidquam injustum vitâ vivet, & non morietur, Ezech. 33. v. 14. Ecce merces operariorum . . . quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit, Jacob. 5. v. 4. Adjungo auctoritatem S. Augustini relati Can. 1. caus. 12. q. 6. Si res aliena (inquit) propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur penitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed, ut dixi, cum restitui potest. Hæc S. Doctor.

X.

Christiani homines sine DEI offensa votere possunt, ut colligitur ex Gen. 28. v. 20. Vovit etiam votum (Jacob) dicens: si fuerit DEUS mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, v. 21. Erit mihi Dominus in DEUM, v. 22. Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus DEI: cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Idcirco cum hoc votum ad cultum DEO pendendum fuerit nuncupatum, ut liquet ex lapide pro domo DEI, & decimarum oblationibus, erroris sui taxatur Calvinus docens: ejusmodi vota illicita esse. Constat amplius ex voto Davidis de templo ædificando Psal. 141. v. 2. Votum vovit DEO Jacob: non sanè de templo, ut fingunt Heterodoxi, de re aliàs præcepta, ut elicitur ex lib. 2. Reg. c. 7. v. 7. Quare non adificabis mihi domum cedrinam, quam tamen ut DEO acceptam declarat constructio ejusdem à filio ejus v. 13. Ipse adificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.

De Sacramentis in genere

I.

Benignissimus DEUS, qui neminem vult perire 2. Pet. 3. omnibus, & quidem in omni statu providit de mediis salutis; unde & in statu nature etiam vel ipsis parvulis provisum est de remedio peccati originalis delictivo: *Namquid enim homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est; vult omnes homines salvos fieri, inquit S. Augustinus lib. 1. contra Julian c. 18. Et lib. 5. contra eundem c. 11. sic habet: Non idè tamen credendum est, & ante datam circumcissionem famulos DEI, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullò Sacramento ejus opitulatosuisse parvulis suis, quamvis, quid illud esset, aliqua necessaria de causa Scriptura latere voluerit.*

II.

II.

Circumcisio non fuit nudum signum distinctivum populi Israelitici, sed habuit simul rationem Sacramenti ad delendum originale ordinati; hinc plures è Patribus eam Baptismo comparant. S. Bernardus Serm. 1. de Cen. Dom. ita loquitur: Quæ est ergo gratia, unde per Baptismum investimur? unigue purgatio delictorum: hujus quidem gratiæ Sacramentum, prius erat circumcisio, ut originalis rubiginem culpæ... cultellus eraderet. Quoties ergo Scriptura videtur auferre vim justificativam à signis in lege Mosaica contentis, loquitur de illis, quæ largo in sensu erant Sacramenta, cujusmodi fuerunt Purificationes, Consecrationes, Oblationes hostiarum, Ejus agni paschalis &c. non de Circumcisione, quæ propriè non spectabat ad Legem Mosaicam, quam 400. annis præcessit; unde Joan. 7. v. 22. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem: non quia ex Moysè est, sed ex Patribus.

III.

Confusa Hæreticorum doctrina, quam continuant hodiedum de Legis Novæ Sacramentorum numero, omnibus explicat, quod revelante Domino Isaias c. 19. prædixerat: *Concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios, & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum.* Quapropter de turbis eorum exire oportet, & adire ordinatissimam Ecclesiæ domum, in qua invenies à Sapientia Increata excisas columnas septem, atque ex unanimi incolarum consensu discas, quòd septem sint Sacramenta, *Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Penitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium*, nec plura, nec pauciora. Ità nempe sancivit Tridentinum 3. Martii A. C. 1547. Sess. 7. Can. 1. *Ex omnibus Novæ Legis Sacramentis nullum est, quod Divinam non habeat auctoritatem; quippe attestante Synodo Tridentina Sess. 7. Can. 1. Omnia Sacramenta Novæ legis à JESU Christo Domino nostro instituta sunt.* Consonat S. Ambrosius lib. 4. de Sacrament. c. 4. n. 13. *Auctor Sacramentorum qui est, nisi Dominus JESUS? de cælo ista Sacramenta venerunt.* Proinde nullum eorum (ut calumniatur Sectarii) est nudum signum, & inventum humanum.

IV.

Sacramenta rebus tamquam materiâ, & verbis tamquam formâ perficiuntur: Verba autem, quæ formas, Sacramentorum constituunt, non sunt merè promissoria gratiæ, nec debent esse concionatoria, sed sunt proprie consecratoria. Trident. Sess. 7. can. 6. Et verò: si forma Sacramenti debeat esse instructoria, & fidei excitativa, quomodò salvabunt Adversarii Pædo-Baptismum? Neque Sacramenta sunt nuda signa fidei excitativa, ut docent Lutherani, nec nuda symbola promissiones Divinas obsignantia, ut prætendunt Calvinistæ, nec denique nuda signa Christianos ab Infidelibus distinguentia, ut perperam autumant Sociniani, sed sunt signa præ-
etica

Acta gratiæ, quam causant immediatè ex opere operato, Trid. Sess. 7. can. 5. 6. 7. & 8. Num vero hanc causent physicè, vel moraliter, in Scholis disputatur, & sine fidei præjudicio utrúmque defenditur: ex quo tamen Sacramenta omnem suam efficaciam derivant à passione, & meritis Christi, & Sacra Synodus Tridentina Sess. 6. c. 7. passionem Christi asserit esse causam meritoriam, seu moralem nostræ gratiæ, ideo sustinemus: Sacramenta gratiam moraliter solum causare.

V.

Etsi ante Sæculum VIII. formæ conditionatæ non fuerit usus in Sacramentorum consecratione, attamen circa sæculi hujus infantiam exemplum illius usus non deest, quem invaluisse, & practicum fuisse à Clemente VIII. cadentem ex fabrica S. Petri sub conditione his verbis absolvente: Si es capax, absolvo te à peccatis, tradunt non pauci. Baptismus, Confirmatio, & Ordo characterem Sacramentalem imprimunt animæ indelebiter, Trident. Sess. 7. de Sacrament. in gen. can. 9. Hujus verò characteris non obscura inveniuntur vestigia in S. Scriptura, ut 2. Corinth. c. 1. v. 21. & 22. Qui unxit nos, qui & signavit nos. Et ad Ephes. c. 1. v. 13. In quo & credentes signati estis. Item in Patribus, qui characterem nomine sigilli, & signaculi delineant: mendaciter proinde Kemnitius p. 2. Exam. Conc. Trid. Innocentium III. statuit inventorem characteris.

VI.

Secundum legem DEI ordinariam solus homo Viator est idoneus Minister Sacramentorum, non tamen quilibet etiam baptizatus respectu cuiuslibet: etenim Trid. Sess. 7. Can. 10. oppositum sentientes sacro Anathemate prostravit, & merito: si enim in lege Mosaica oblatio sacrificiorum ad Aaron, & Levitas spectabat, ut insinuat Apostolus Hebr. 5. à fortiori in Lege Evangelica administratio sacrorum non erit juris promiscui. Quare risu dignus est Lutherus, qui lib. de Miss. Priv. edito A. C. 1534. sacrilegè docet: etiam Diabolum in corpore humano baptizantem sacramentaliter operari.

VII.

Minister improbus, si cæterum non deficiat in requisitis à Florentino, & Tridentino, validè administrat Sacramentum, atque ita probitas non est de valore: enimverò Concilium Constantiense Sess. 8. proscribit sequentem Num. 4. articulum Wiccleffi: Si Episcopus, vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat. An autem ad valorem Sacramenti in Ministro requiratur fides? circa hoc magno animorum æstu disputatum fuit III. Ecclesiæ sæculo; quippe plures è Patribus, præsertim Africanis, negabant Sacramenta ab Hæreticis, & Schismaticis collata esse valida; sed re nunc eliquata jam fide certum est: carentiam

fidei non obesse valori Sacramentorum; unde Trid. Sess. 7. Can. 4. definit. Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit. Exinde confixa manet opinio Rebaptizantium, seu defendentium, repetendum fore Baptismum ab Hæreticis, vel Schismaticis collatum. Porro Stephanus I. opponens se errori Rebaptizantium non incidit in alium: non enim probavit Baptisma omnium promiscuè Hæreticorum sub quacunque forma baptizantium (ut oggerunt audaciores quidam Romanorum Pontificum oppugnatores) sed solum docuit: baptizatos ab Hæreticis formam legitimam adhibentibus non esse rebaptizandos. Interim tamen

VIII.

Ad valorem Sacramenti necessaria est in Ministro intentio seria faciendū id, quod facit Ecclesia, & Christus instituit, hinc *mimicè*, & *joculariter* operans non conficit Sacramentum. Et quis amabo in histrione Ministrum Christi suspiciat? Præsertim, cum Trid. Sess. 15. c. 6. expressè damnet sequentem Num. 12. Lutheri articulum: *Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serid, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissimè est absolutus.* Imo nec ad valorem sufficit sola seria externi ritus positio, sed ultra requiritur, ut Minister seclusa interiori simulatione, & fictione ad intra sincerè intendat facere rem sacram, ut fieri solet in Ecclesia. Deducitur hæc assertio ex Propos. 28. ab Alexandro VIII. damnata, quæ sic sonat: *Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit: non intendo facere, quod facit Ecclesia.* Quare non amplectimur systema Catabrini.

De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ.

I.

PRimum omnium Sacramentorum locum tenet Sanctum Baptisma, (ait Florentinum in instr. Armen.) quod vitæ spiritualis Janua est. Hujus necessitatem vel ex ipso testimonio Christi condiscimus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI* Joan 3. v. 5. In quod etiam Oecumenica Synodus Tridentina contra Gregorium Darieviensem, Wiccleffum &c. Sess. 7. Can. 5. definivit: *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est: non necessarium ad salutem, anathema sit.* Igitur

II.

Baptismus verè, & utiliter confertur parvulis, quantumvis fidem non habeant actualem, quoniam ex Scriptura Act. 6. Item I. Corinth. 1. liquet, totas domos, & familias integras, quas inter indubiè infantes comprehenduntur, fuisse baptizatas. Accedit perpetua traditio, & Ecclesiæ praxis, quam

quam nobis contra *Lutherum, Calvinum, Thomam Myntzerum Anabaptistarum Patrem, & Baltazarem Pacimontanum* testantur Sancti Patres, præcipuè *S. Irenæus lib. 2. c. 39. dicens: salvari omnes, qui renascuntur per Christum infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes, & seniores: Item S. Cyprianus lib. 3. Epist. 8. A Baptismo, & à gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans.* Inde tamen ne inferas: Regibus & Principibus Christianis fore integrum, infantes utroque infidelium Parente invito, politicè solùm subjecto, Baptismate tingere, aut Adultos etiam directa vi adigere. Ità *Benedictus XIV. in sua Const. incip. Postremo mense Ad Archiepiscopum Tarfen. Vicesgerentem de A. C. 1747. 28. Februarii.*

III.

Confirmationem esse verum N. L. Sacramentum contra Novatores, præcipuè Dalleum Calvinistam Catholica fides confitetur in Trid. Sess. 7. can. 1. Si quis dixerit: confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum... anathema sit. Concinit Augustinus lib. 2. contra litt. Petil. c. 104. In hoc unguento Sacramentum Chrysmatis vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum Sacro-Sanctum est, sicut ipse Baptismus.

IV.

Remota Confirmationis materia est Chrysm ex oleo olivarum, & balsamo confectum, quod & Apostolos usurpasse Dionysio c. 4. Hierarch. Eccl. ac Cypriano Epist. 37. probabilius videtur, etsi ex eorum dicti Sacramenti administratione sine Chrysmate infundatè negaretur, hoc ad materiam pertinere; quandoquidem illi privilegia varia habuere, quæ aliis non tribuuntur, eorùmque tempore varia miracula edebantur, ac Spiritus Sancti descensus sensibilis erat, non temporibus aliis. Materia autem proxima est Unctio in fronte facta cum Chrysmate benedicto in modum crucis. Forma ejusdem apud Latinos vera hæc est, aut ei æquivalens: Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrysmate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Non tamen ut invalidam, & illicitam Græcorum reprobamus formam: Signaculum doni Spiritus Sancti, ubi supple juxta proprietatem Græci sermonis: Ecce! vel tibi datur: etenim Græci Romæ in oculis Papæ, & Cardinalium cum forma illa confirmant in templo S. Athanasi.

V.

Quamvis Episcopi sit ordinariè loquendo ministrare Confirmationis Sacramentum ex Trid. Sess. 7. can. 3. Si quis dixerit: Sancta Confirmationis Ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum... anathema sit; Concilium tamen Florentinum denuncians Ordinarium Ministrum esse Episcopum, & subnectens: Legitur tamen aliquando per Apostolicæ sedis di-

spensationem ex rationabili, & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem Chrysmate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum, sufficienter innuit simplicem Sacerdotem ex Summi Pontificis concessione non esse abigendum è numero Ministrorum hujus Sacramenti Extraordinariorum.

VI.

In Divinissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo tota ratio facti est omnipotentia facientis, verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem simul cum anima, & Divinitate D. N. JESU Christi contineri, illius, qui *Via, Veritas, & Vita* est, testimoniò assecuramur; ait enim apertè Joan. 6. v. 16. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Et iterum: Qui manducat me, vivet propter me.* Huic veritati nec *Lutherus* (negante tamen *Calvino*, qui sentiebat: Corpus Christi adesse tropicè, & figuratè.) contradicere potuit, esto *Dæmon* id ei per *sophistica* argumenta persuadere conniteretur, non poterat tamen præcitato claro *Joannis* textui contraire.

VII.

Errorem *Wiccleffi*, qui impanationem admisit, & *Lutheri*, qui dicebat: Corpus Christi esse cum pane per unionem hypostaticam, seu consubstantiationem, per vocem transubstantiationis refellimus, orthodoxè credentes: in Eucharistiæ Sacramento totius substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi, manentibus duntaxat panis, & vini speciebus vi verborum fieri conversionem; nam ut ait *S. Cyrillus* Hierosol. *Catech. 4. Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est Sanguini propinquum, in Cana Galiliæ sola voluntate, . . . & non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutasset?*

VIII.

Fatemur quidem: viguisse aliquando in Ecclesia usum Communionis sub utraque specie, negamus tamen contra *Petrum Dresdensem, Jacobelum Misnensem, cæterosque Lutheranos, & Calvinistas, ac alios ab his seductos Germanos, de quibus ille versus:*

Da calicem, calicem; sitiens Germania clamat.

Sumptionem sub utraque specie præcepto Divino necessariam esse omnibus, & singulis fidelibus: Unde *Trid. Sess. 21. can. 1.* ità definit: *Si quis dixerit: ex DEI præcepto, vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit: & jure merito; quandoquidem ipsemet Servator unam speciem sumentis promittit vitam æternam: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Joan. 6. v. 52.

De Sacramentis Pœnitentiæ, Extremæ Uñctionis, Ordinis, & Matrimonii.

I.

Pœnitentia in Lege gratiæ est verum, & propriè tale Sacramentum, à Batismo, & ejus memoria distinctum, contra quam sentiunt *Lutherani*, & *Calvinistæ*, qui Baptismum in memoriam revocatum affirmant esse Sacramentum Pœnitentiæ, & Reconciliationis: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica Pœnitentiam non esse proprium Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsis DEO reconciliandis à Christo Domino nostro institutum, anathema sit*, Trid. Sess. 14. Can. 1. Porro Minister hujus Sacramenti est solus Sacerdos, prout iterum contra *Wiceliffitas*, & *Waldenses* definivit Trid. Sess. 4. Can. 1.

II.

In eo vel maximè felicem reputamus Pœnitentiam, quòd virtute ejus peccata omnia (quidquid oggiant *Montanistæ*, & *Novatiani*) ità inveniuntur remissibilia, ut nullus unquam peccatorum quantumcunque gravium numerus assignari queat, quò positò peccator per illam non posset resurgere: enimverò ipse Dominus, qui *Benignus*, & *misericors est, patiens*, & *multæ misericordiæ* Joel. 2. ita illimitate Ezech. 18. *Isaiæ* 1. verè pœnitentibus remissionem promittit, ut nullum unquam pro *vici* statu à venia velit exclusum: quòd autem & peccator ipse stante quacunque gravitate, vel numero peccati adhuc pœnitere valeat, natura arbitrii sui, & gratiæ virtus, quibus pollet, inferunt, quæ aliàs in eo vel læderentur, vel planè tollerentur. Remisso nihilominus peccato mortali quoad culpam, & reatum pœnæ aternæ, defactò, non semper remittitur pœna temporalis: hinc est, quod *David* Rex ob peccatum numerati populi, licèt remissum quoad culpam, adhuc teneretur eligere aut *bellum*, aut *famem*, aut *pestem*.

III.

Confessionem *Privatam* non ab hominibus adinventam, sed à Christo institutam, & præceptam ex *Apostolico-Divina* Traditione scimus: etenim hanc jam olim Apostolorum tempore sedulò servatam videmus in *Actis* Apostolorum c. 19. v. 18. *Multique credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos*, Syri legunt: *Annunciabant delicta sua*. Imo hodie contrarium sustinentes subjacent anathemati in eos per Tridentinum Sess. 14. Can. 6. fulminato.

IV.

Confessionis Sigillum ligat jure *naturali*, *Divino*, & *Ecclesiastico*; hinc ad fugiendum vitæ periculum non licet ea prodere, quæ in Sacro

Pœnitentiæ tribunali panduntur. Quod si Confessarius de auditis in Confessione fuerit interrogatus à iudice: an scilicet *Matthias* sit furci reus? suadet *Maldonatus*, respondendum sine consideratione personarum: se nihil posse dicere de iis, quæ in unam, vel alteram partem audiverat in Confessione. Alii suadent Confessario, ut protestetur: se nescire; quia ignorat ut testis, qui iudicis interroganti tenetur veritatem agnoscere.

V.

Sicut à fonte salutis Christo salus homini provisa est per Sacramentum *Baptismi* in vitæ ingressu, & in progressu per Sacramentum *Pœnitentiæ* (congruentiam hanc ponit Doctor subtilis) ita etiam in vitæ exitu providit Servator de Sacramento *Extremæ Unctionis*, quo infirmi in periculo mortis constituti recrearentur, confortarenturque ad *Dæmonis* tentationes facilius superandas. Hanc *Extremam Unctionem*, de qua *Lutherus* lib. de Capt. *Babyl.* ait: *Si unquam antea deliratum est, in Extrema Unctione nunc præcipuè deliratum est*, quamque *Calvinus* lib. Inst. c. 19. §. 18. & 21. vocat *Sacramentum fictitium*, oleum balitu *Episcopi* calefactum, multo murmure incantatum, abominabilem unctionem, jam inde à temporibus Christi universa Ecclesia inter propriè dicta Sacramenta *Novæ Legis* numerat, ut testantur Concilia *Nicænum I.* *Viennense*, & *Florentinum*, ac alia plura: recentissimè verò *Tridentinum* Sess. 14. Can. 1. *Si quis dixerit: Extremam Unctionem non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum . . . anathema sit.*

VI.

Hujus Sacramenti materia remota est oleum ex olivis expressum conformiter ad doctrinam *Florentini* in *Decr. Un. Quintum Sacramentum est Extrema Unctio, cujus materia est oleum olivæ: proxima verò est unctio ipsa: Ungentes eum oleo* *Jacob. 5.* Vindicatque sibi formam deprecativam, ut satis indicat *S. Jacobus Apostolus* loc. cit. v. 14. & 15. dicens: *Ora super eum . . . & oratio fidei salvabit infirmum.* Ministrum exigit *Presbyterum*, subjectum verò *infirmum unguendum.*

VII.

Ordinis Sacramentum est ille nobiliter fecundus *Matris Ecclesiæ* uterus, per quem nobilior portio gregis Christi, puta *Sacerdotes*, alique *Ecclesiæ Ministri* propagantur. Porrò *Ecclesia* *Ministros*, suos in *Sacris*, seu *Majoribus* constitutos justè (quidquid pro offa carnis clamitent *Hæretici*) ad *Cœlibatum*, & continentiam obligat: monet enim *Apostolus* ipsos etiam conjugatos *1. Corinth. 7.* *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi*, in quem locum sic discurrit *Hieronymus: Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt Sacrificia, semper orandum est; si semper orandum: ergo semper Matrimonio carendum.*

VIII.

VIII.

Abfit tamen, ut perinde damnemus connubia, aut dicamus, quòd Diabolus feciffet nuptias: fide quippe tenemus, Matrimonium verum effe Sacramentum; unde fefta *Adamitarum*, & blasphemix *Lutheri*, & *Calvini* manifefte convelluntur authoritate Apostoli ad Ephes. 5. v. 23. *Sacramentum hoc magnum est.* Demum Ministrum hujus Sacramenti non Parochum, aut Sacerdotem ejus delegatione affitentem, fed ipfos contrahentes contra quosdam Recentiores Theologos fultinemus.

IX.

Deiparam inter, & S. Jofephum verum interceffiffe Matrimonium confiteatur, eft necesse, qui c. 1. Matth. v. 16. perfectum habet: *Jacob autem genuit Jofeph virum Mariæ, de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus: v. 19. Jofeph autem vir ejus, cum effet justus: v. 20. Jofeph fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam: Nec votum Mariæ obftitit valori Matrimonii, quod cum potestate in corpus, vel corpora fubfiftere potest sine aduali commercio carnali: rei exemplum habes in adultero, qui retento jure ad corpus amittit jus ad ufum ejus.*

*Non erat absque viro tua desponsatio Virgo:
At conceptus erat Virginis absque viro.*

O. A. M. D. G.



... in primis de ...
... de ...
... de ...
... de ...

IX

... de ...
... de ...
... de ...
... de ...
... de ...
... de ...

...
...
...

O A M D G

